INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN TRES PARTES,
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,
QUIBUS
VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA ET MUTATIONUM CAUSÆ ENARRANTUR
A DOMINICO CAVALLARIO
JURIS CANONICI ET CIVILIS
PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

TOMUS SECUNDUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA.
MDCCC.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, *Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

INDEX

CAPITUM PRIMÆ PARTIS

TOMI SECUNDI.

CAP. XXI. *De sacrorum ministrorum electione.* Pag. 1

CAP. XXII. *De examine ordinandorum & electorum confirmatione.* 19

CAP. XXIII. *De sacris ordinibus, & primo de earum ministro & subjecto.* 24

CAP. XXIV. *De sacrarum ordinationum ritibus earumque effectibus.* 40

CAP. XXV. *De ordinibus gradatim suscipiendis, & eorundem interstitiis.* 51

CAP. XXVI. *De temporibus ordinationum.* 57

CAP. XXVII. *De titulo ordinationis.* 63

CAP. XXVIII. *De Episcoporum translationibus & renunciationibus.* 73

CAP. XXIX. *De ordinationibus invalidis.* 78

CAP. XXX. *De sanctitate & virtutibus Clericorum.* 84

CAP. XXXI. *De Clericorum studiis.* 95

CAP. XXXII. *De habitu & tonsura Clericorum.* 100

CAP. XXXIII. *De negotiis sæcularibus, à quibus Clericos oportet abstinere.* 109

CAP. XXXIV. *De sacrorum ministrorum cœlibatu.* 118

CAP. XXXV. *De ascetis.* 128

CAP. XXXVI. *De origine & progressu Monachorum.* 131

CAP. XXXVII. *De probatione monachatui præmittenda.* 150

CAP. XXXVIII. *De Monachorum professione.* 155
CAP. XXXIX. *De votis & exercitiis monasticis.* 170
CAP. XL. *De clericatu Monachorum.* 179
CAP. XLI. *De statu Monachorum.* 191

INS-

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS I. TOM. II.

CAPUT XXI.

De sacrorum ministrorum electione.

Primis sæculis Clerici sæpe electi modis extraordinariis.

§. I. Summa cura & diligentia est adhibenda, ut optimi quique, præscriptisque canonicis qualitatibus donati in clerum cooptentur. Unde varias Ecclesia methodos servavit, præscriptisque, quibus de ordinandorum qualitatibus constaret. Apostolorum ætate sors aliquando ad ministros seligendos adhibita (*a*); ut plurimum vero primitiæ ex conversis gentilibus ad sacerdotium adsumptæ (*b*). Qui enim erant ad Christum admittendum promptiores, præ reliquis ad christianum sacerdotium magis idonei videbantur. Præsertim autem interna inspiratione designabat Deus, quos in suum ministerium vellet cooptatos. Ita Timotheus electus & ordinatus fuit secundum antecedentes de eo prophetias (*c*). Et Joannes ex insula Patmo rediens, finitimas provincias peragravit, ut homines sibi à divino spiritu indicatos clericos constitueret (*d*). Quin primis sæculis aliquando etiam Deus dignatus est visibili externoque signo altaris ministros designare, veluti immissa columba, quod contigit in electione Fabiani Papæ, Severi Episcopi Ravennatis aliorumque (*e*).

Ordinarius eligendi modus per populi suffragia.

§. II. Ordinarius autem sacros ministros cooptandi modus primum ab Apostolis adhibitus, & assiduo usu deinceps ab Ecclesia receptus, electio fuit proprie sic dicta. Generatim electio idem sonat ac rem unam, personamve pro arbitrio eligentis secernere, quocunque tandem modo fiat, quo sensu etiam vocatio per inspirationem

(*a*) Actor. I. v. 23 26.
(*b*) Clemens Rom. epist. I. n. 42.
(*c*) 1. ad Tim. I. v. 18.
(*d*) Clemens Alexand. hom. *Quis dives salvabitur.*
(*e*) Bingh. lib. 4. Orig. Eccles. cap. 1. §. 3.

nem electio est. At in hac causa strictius accipitur electio, estque ordinaria vocatio idoneæ personæ ad clerum plurium suffragiis canonice facta. Inde usque ab Apostolis per plura sæcula suffragiis cleri & populi uniuscujusque Ecclesiæ electiones sacrorum ministrorum celebratæ. Nec sane melior ab hominibus servari poterat methodus, qua optimi quique dignoscerentur, præsertim quando non adhuc Ecclesia potens, dives & honorata erat. Vix enim fieri potest, ut hominum vitia omnes lateant. Unde Alexander Severus, gentilis alioquin Imperator, admirans christianos communibus suffragiis tam præclaros pastores sibi constituere, ad optimos quousque pro regimine provinciarum detegendos, nomina eorum, quos volebat adsumere, populo proponebat (*a*). Adsumebantur autem per cleri & populi suffragia nedum omnes Episcopi & Presbyteri, verum etiam ipsi inferiores Clerici : quod adeo multis constat monumentis (*b*), ut mirari liceat, Cabassutium & Beveregium adfirmasse populi suffragia tantum in eligendis Episcopis obtinuisse. Communibus suffragiis, quibus hominum vitia detegebantur, hoc accedebat commodi, quod Ecclesiæ rectores non dabantur invitis (*c*). Populus contemnit, quem non optavit. *Qui præfuturus est omnibus*, inquit Leo M. (*d*), *ab omnibus eligatur*.

Populi suffragia erant testimonialia, non judicialia.

§. III. Illud vero magnis animis controvertitur, nam populus tanquam judex suffragium laturus convenerit, an tantum ad bonum parti electæ dandum testimonium. Qua in re tanta est virorum doctissimorum discrepantia, ut molestum sit vel omnium numerare sententias. Interim tamen magis videtur, non verum suffragium in electione ministrorum populum habuisse, sed tantum convenisse ad merita detegenda, & ne Episcopus daretur invitis. Certe Clemens Romanus docet (*e*), Apostolos constituisse, ut Episcopi in demortuorum locum ab ipsis Apostolis, & postea à claris & celebrioribus viris substituerentur, *gratum sibi hoc esse testante universa Ecclesia.* Scribit quoque de Episcopis Tertullianus (*f*), *præsident apud nos probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Et Origenes populi præsentiam adhibitam scribit, ut constaret optimos quosque ad sacerdotia promoveri (*g*). Similiter Cyprianus de divina & apostolica traditione teneri scribit, ut ad Episcoporum electionem Episcopi proximi conveniant, *& Episcopus eligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujus-*

(*a*) Lamprid. Vit. Alex. Severi cap. 45.
(*b*) Hieron. epist. IV. ad Rust., Possid. Vita August. cap. 21.
(*c*) Can. XIII. D. 61.
(*d*) Epist. X. ad Episc. ad Vienn. edit. Quesn.
(*e*) Epist. ad Corinth.
(*f*) In Apologet. cap. 39.
(*g*) Hom. VI. in Levit.

jusque actum de ejus conversatione prospexit (*a*). Porro constat populi suffragia judicio Synodi comprovincialis excludi potuisse ; scribit enim Basilius (*b*), *petere quidem vestrum est, domini vero*, hoc est Synodi provincialis, *designare :* quod certe demonstrat non vera suffragia populum tulisse. Tribuit quidem subinde Cyprianus populo suffragia (*c*), at in eum finem, *ut vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur* (*d*).

Turbæ & factiones in electionibus popularibus.

§. IV. Methodus ista per suffragia totius Ecclesiæ sacerdotia conferendi in se spectata sancta est ; at postquam beneficio Constantini & sequentium Imperatorum Ecclesia à persecutionibus libera, divitiis & honore crevit, hominum malitia in turbas & factiones degeneravit. Hæreses, quarum plerumque in una Ecclesia plures erant fautores, candidatorum ambitus, & inconstans judicium plebis, quæ rebus novis semper studet, suique similem appetit Sacerdotem, plerumque turbarunt Episcoporum electiones. Certe Chrysostomus christianorum ad dandas dignitates conventus, quos appellat *publica festa*, veluti meras turbas & contentiones describit, earumque causam hanc fuisse addit, quod animi virtutem, quam solam spectare deberent, christiani non attendunt, sed privatis affectibus ducuntur (*e*). Subinde autem adeo excreverunt turbæ, ut ad arma factiones proruerint, & sanguine ipsas polluerint Ecclesias, cujus rei tristia exempla Damasi, Symmachi aliorumque Pontificum suppeditant electiones. Variis ergo Canonibus turbas ab electionibus Ecclesia proscripsit (*f*), voluitque in pace & quiete seligi Sacerdotes (*g*). Studiis vero & turbis obortis metropolitarum & Episcoporum, ad quos judicium spectabat electionum, erat populum docere, non sequi (*h*), illumque præferre, qui majoribus studiis & meritis juvabatur (*i*), aut aliquem non expetitum, meritis tamen clarum in Episcopum inflatæ multitudini offerre & ordinare (*k*).

Episcopus visitator, *ejusque potestas.*

§. V. Quo vero electio feliciter procederet, & ne interim Ecclesia esset sine pastore, Ecclesia vacans per metropolitam cuidam Episcopo commendabatur, qui *intercessor*, *interventor* & *visitator* dictus,

(*a*) Cypr. epist. LXVIII. edit. Rigaltii.
(*b*) Epist. LXII.
(*c*) Epist. XLII.
(*d*) Cypr. cit. epist. LXVIII.
(*e*) Chrysost. de Sacerdot. lib. 3. cap. 15.
(*f*) Conc. Laodic. Can. XIII.
(*g*) Can. XXVII. D. 63.
(*h*) Can. II. D. 62.
(*i*) Can. XXXVI. D. 63.
(*k*) Sidon. Apollin. lib. 4. epist. XXV.

tus, electionem promovebat, & interim Ecclesiam gubernabat (*a*). Sæculo quarto in Ecclesia Africana jam interventores invaluerant, solemnisque deinceps in reliquis occidentis Ecclesiis eorum fuit usus. Studia populi in eligendis Episcopis diversa, minusque concordans cleri in regenda Ecclesia voluntas, instituendis interventoribus dederunt occasionem. Constitutus visitator dissidentium animos flectebant ad concordiam, hortabaturque, ut dignum in Episcopum seligerent. Ubi inter eligentes de certa persona conveniebat, decretum fiebat electionis, quod ab ipso interventore & eligentibus subscriptum ad metropolitam pro confirmatione mittebatur. Metropolitæ quidem erat visitatorem designare, at quo tempore episcopatus à manu pendebant regia, etiam visitator nutu Regis dabatur, aut Rex ejus designandi metropolitæ faciebat potestatem, quod constat ex Hincmaro Rhemensi. Non ultra annum visitator ex Canonibus Africanis officium poterat continuare, vetitumque ei fuit quibuscunque populorum studiis & seditionibus sibi commendatam Ecclesiam retinere (*b*).

Episcopi evitandis turbis designant successores.

§. VI. Ad turbas quoque præcavendas, & ne minus probati factionibus adjuti suis sedes invaderent episcopales, sæpe sanctissimi Episcopi sibi designabant successores. Ita Macarius Episcopus Hierosolymitanus timens, ne post mortem suam Arianorum factio Arianum Episcopum intruderet, Maximum alterius Ecclesiæ Episcopum sibi adjutorem & successorem elegit (*c*). Et Augustinus turbas ambitiosorum antevertens, Eradium quidem sibi edixit successurum, sed se vivo eum noluit ordinari, ne iterum Canonem Nicænum, quo in una Ecclesia duo Episcopi esse vetabantur, infringeret (*d*). Fiebant vero hujusmodi successiones clero populoque adsentientibus, easque Ecclesiæ notarii excipiebant: nec designantes Episcopi quidquam humanis indulgebant affectibus, sed tantum Ecclesiis consulebant suis. Vetant quidem apostolici Canones, Episcopos hæredes sibi facere episcopatus (*e*), caventque Antiocheni, *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere* (*f*); at certe apostolicus Canon de iis edicit Episcopis, qui cognatis suis hæreditarios transmittebant episcopatus; Antiochenus vetat, Episcopos posthabitis populi suffragiis sibi seligere & simul hæredem ordinare, non vero pro bono pacis Ecclesiæ consentienti præmonstrare, quem ad munera episcopalia judicant aptiorem.

Re-

(*a*) Can. XVI. & XIX. D. 61.
(*b*) Can. XXII. c. 7. q. 1.
(*c*) Sozomen. lib. 2. cap. 18.
(*d*) August. epist. CX.
(*e*) Can. Apost. LXXVI.
(*f*) Conc. Antioch. Can. XXIII.

Regius adsensus necessarius in electionibus Episcoporum.

§. VII. Suffragiis populi peractis electionibus, antequam electi consecrarentur, Principum adsensus accedere debebat. Sane sunt Principes reipublicæ capita, & jura populi in se complectuntur universa, ut proinde jure meritoque in ministrorum ecclesiasticorum electionibus præcipuum summorum imperantium debeat esse suffragium. Unde statuit Synodus Aurelianensis V. an. IↃXLIX., *ut cum voluntate regis juxta electionem cleri & plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum* Episcopus ordinetur (*a*). Inde tamen verum est, initio christianos Imperatores integras electiones populo reliquisse, constatque Constantinum M. nullis electionibus sacris se interposuisse, nisi ut exortas dissensiones compesceret, Canonesque suaderet observari. Certe Valentinianus senior electioni Ambrosii consensit (*b*), potius tamen quod esset Ambrosius provinciæ judex ministerque Imperatoris quam quod ea ætate necessarius haberetur in sacris electionibus Imperatoris adsensus. Verum inde summæ potestatis in electionibus adsensus magis magisque se explicuit, ut in omnibus electionibus tam Episcoporum, quam Abbatum esset necessarius. Novæ infirmæque per Europam constitutæ dominationes, quas Episcoporum auctoritate firmari posse Reges videbant, feuda per Principes Ecclesiis tributa, Episcopi in Regum consilia adhibiti regium adsensum promoverunt, ejusque in omnibus electionibus induxerunt necessitatem. Sæculo sexto in Gallia Principes omnibus adsentiebantur electionibus, quo eodem jure & reliqui Principes deinceps usi sunt (*c*).

Imperatores confirmabant Pontificis electionem.

§. VIII. Ipsa quoque Pontificis electio rata non erat, nisi Imperatoris consensus accederet. Ad evitandas turbas in eligendis Pontificibus frequentes *admonitiones Beatissimi Papæ Simplicii* primus Odoacer Herulorum in Italia Rex, edixit, Pontificem sine regia consultatione non eligendum (*d*). Inde factionibus populi Romani permoti Gothorum reges Theodoricus & Theodatus Pontifices dederunt (*e*). Gothorum reges secutus Justinianus integram eligendi Pontificis sibi abrogasse videtur potestatem; sed sequentes Imperatores, suffragiis populo relictis, electionis sibi reservarunt confirmationem: quod jus ætate Pelagii II. jam receptum erat (*f*). Unde Gregorius M. in Pontificem electus, ad declinandam ordinationem

Mau-

(*a*) Conc. Aurelian. V. Can. XI.
(*b*) Theodor. lib. 4. cap. 6.
(*c*) V. Lupum diss. de Regia Antistit. nominat. cap. 6.
(*d*) Can. I. D. 96.
(*e*) Cassiod. lib. 8. epist. XV. Anastas. Biblioth. in Silverio.
(*f*) Platina in Pelagio II.

Mauritium prævenit, *ut electionem de se factam non approbaret* (*a*): & inter Pontificum electiones & consecrationes sæpe moræ longiores interjectæ. Sub finem sæculi VII. remisit quidem adsensus necessitatem Constantinus Pogonatus (*b*), at paulo post revocato patris indulto Justinianus II. Italiæ exarchis adsentiendi electioni Pontificum fecit potestatem (*c*) : atque ita cœperunt exarchi electioni Pontificum adsentiri, donec bello sacris imaginibus per Leonem Isaurum indicto Ecclesia Romana integram electionis & consecrationis Pontificis sibi adseruit libertatem. Parta diu stetit libertas, etiam sub Carolo M., sed inde sub Ludovico Pio adsensus consuetudine restituta, pro variis temporum conditionibus aliquandiu posthabito Imperatoris adsensu Romani Pontifices consecrarunt suos. Sed tandem anno IↃCCCCIV. ad obviandas turbas in Concilio Ravennatensi sub Joanne IX. ad Pontificis consecrationem imperialibus legatis admissis, factaque à Romano populo Othoni I. Imperatori promissione de non creando Pontifice *præter consensum atque electionem domini Imperatoris* (*d*), iterum vigere cœpit imperialis pontificiæ electionis confirmatio, quæ deinceps fere stetit usque ad abdicatas ab Henrico V. per annulum & baculum investituras (*e*). Moribus præsentibus ad electionem Pontificis coactis Cardinalibus, quem sibi ex Cardinalibus infensum habent, supremi Principes denunciant, sicque, quominus eligatur in Pontificem, sunt impedimento.

Quando cessarunt populi suffragia.

§. IX. Populares electiones diu in utraque steterunt Ecclesia, sed tandem cessarunt, eisque abolendis præcipuam causam factiones & seditiones videntur præbuisse. Principio in Africa durante schismate Donatistarum, & in Ecclesiis Orientalibus quo tempore pestis Ariana grassabatur, sæpe posthabita sunt populi suffragia, tantumque sacra Episcoporum potestate Episcopi constituti sunt (*f*). Inde Justinianus plebem penitus ab electionibus exclusit, easque Clericis & optimatibus dedit, ita tamen ut tres personas eligerent, ex quibus metropolitanus ordinaret digniorem (*g*). Verum hæc Justiniani constitutio nec in Oriente usu recepta fuit, tantum abest, ut in Ecclesiis Occidentalibus obtinuerit. Generatim vero Synodi septima & octava generales (*h*) jure suffragiorum populum spoliarunt, electionesque Episcoporum, penitus exclusis Principum nominationibus, Episcopis provinciæ detulerunt, idque secundum Can. IV. Nicæ-

(*a*) Jo. Diaconus vita Gregorii M.
(*b*) Anastas Biblioth. in Benedicto II.
(*c*) Murator. in Annal. Italiæ an. DCLXXXVI.
(*d*) Luitprandus lib. 6. cap 6.
(*e*) Maiburgius histoire de la decadence de l'Empire.
(*f*) Collat. Carth. cap. 182., Conc. Antioch. Can. XVII. & seq.
(*g*) L. 42. C. de Episc., nov. CXXIII. & CXXXVII.
(*h*) Conc. VII. Can. III., Conc. VIII. Can. XXII.

cænum, quo statuitur, ab Episcopis provincialibus auctoritate metropolitæ fieri debere Episcoporum ordinationes. Sed Canones Nicæno tantum jura Episcoporum & metropolitarum in constituendis Episcopis confirmantur, nec quidquam de jure populi in electionibus diminuitur ; & ita populi suffragia in eo statu, quo eo tempore in Ecclesiis obtinebant, relicta sunt, ut passim eruditi observant (*a*). Sane ipsi Nicæni Patres ad Episcopi constitutionem populi electionem tanquam conditionem necessariam requirunt (*b*), præterea post ipsum Nicænum Concilium diu etiam in Oriente populi suffragia sunt continuata (*c*). Ita contra sententiam Patrum Nicænorum decretis duorum Conciliorum generalium in Oriente à nono sæculo in constituendis Episcopis cessarunt populi suffragia sed diutius steterunt in Occidente, ubi sæculo XII. eorum supersunt exempla (*d*): quamvis in Gallia etiam ab ipsis Episcopis multum fuerint enervata. Sane post septimam & octavam generales Synodos Galliæ Episcopi populum potius ad adsentiendum à se jam factæ electioni, quam ad ipsam electionem admittere cœperunt (*e*). Citius vero cessarunt popularia suffragia in cooptandis Presbyteris aliisque inferioribus Clericis, eorumque loco successerunt ad populum denunciationes, quibus cuique imponitur, ut exeat, & palam propter Deum faciat, quæ scit, impedimenta. Quæ disciplina proponitur in *ordine Romano*, & præsentibus moribus obtinet (*f*).

Frequentes olim regiæ Episcoporum nominationes.

§. X. Illud interim verum est, à medio fere sæculo sexto magis Ecclesiæ voto, quam reipsa stetisse populares electiones. Etenim Principes suum in electiones adsensum verterunt in nominationes, sublatisque fere populi suffragiis Episcopos jussionibus dederunt suis. Principio rectæ fidei Principes ad turbas prævertendas, vel sponte, vel ab Ecclesia interpellati, Episcopos nominarunt. Et quî alias turbæ poterant evitari? Ita Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad sedandas factiones Theodosius M. Nectarium, Arcadius Chrysostomum, & Theodosius Junior Nestorium præfecit (*g*). Similiter Theodoricus Italiæ rex turbas in electionibus Pontificum frequentes declinaturus Felicem IV., alias III. Senatui Romano eligendum in Pontificem objecit. Sed inde turbæ in electionibus continuatæ, Regum in novis per Europam constitutis regnis infirma dominatio Episcoporum auxilio munienda, auri sacra fames, qua aliqui Principes laborarunt, hæreses à Principibus aliquando fotæ Ecclesiarum funda-

(*a*) Petrus de Marca lib. 8. de C. S. & I. cap. 3.
(*b*) Epist. Synod. ad Eccles. Alexand. ap. Theodor. lib. 1. cap. 9.
(*c*) Bingh. lib. 4. Orig. Eccles cap. 2. §. 11.
(*d*) S. Bernard. epist. XIII. & XXVIII.
(*e*) Hinc Rhemens. epist. XII ad Ludov. III.
(*f*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 5.
(*g*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 6.

dationes, privilegia Pontificum, & receptæ investituræ regias Episcoporum nominationes à necessitate ductas in usum fere verterunt assiduum. Sub Merovigicis regibus in Gallia, sub Visigothis in Hispania fere Principum jussionibus Episcopi nominati (*a*) : tractabantque ea de re Principes cum Episcopis & palatii proceribus, populique consensus subinde à Principibus electo suffragabatur. Sed majori libertate sub Gothis & Longobardis in electionibus Italiæ Ecclesiæ utebantur, præsertim quæ erant sub metropoli Romana (*b*). In Oriente post Justinianum sub orthodoxis nec auri appetentibus Principibus fere tantum Patriarchæ & majores metropolitæ sacris jussionibus constituti sunt (*c*). Inde per Occidentem Carolus M. ejusque filius Ludovicus Pius editis Capitularibus, Ecclesiis restituerunt electiones (*d*), quamvis aliquando ipse Carolus, sæpe vero Ludovicus suas leges egressi Episcopos nominarint. Sed sub sequentibus Principibus iterum revocatæ regiæ Episcoporum nominationes, quin postquam in abusum abierunt investituræ in Europæ regnis pene tanquam jura regia electiones Episcoporum habitæ sunt. Toto autem hoc tempore, quo regiæ obtinebant Episcoporum nominationes, sæpe Principes veluti de suo jure remittentes Ecclesiæ concedebant electionem, salvo tamen in factam electionem adsensu. Plerumque vero Reges electionis potestatem facientes, personam eligendam designabant, quod certe fucatum erat beneficium ab optimis quibusque reprobatum (*e*). Interea Ecclesia & Principes obtestans, & variis editis decretis electiones canonicas restituere adlaboravit, Ecclesiæque admonenti & vero etiam ejus iteratis Canonibus sæpe Principes cedebant, & canonicas restituebant electiones : sed mox vel iidem ipsi Principes, vel successores abdicatas resumebant, ut nihil inconstantius negotio electionum mediis sæculis fuisse videatur (*f*).

Solemnitas & origo investituræ.

§. XI. Jam accedens electionibus Principis consensus, quin & regiæ ipsæ Episcoporum nominationes in solemnes abierunt *investituras*. Nomine *investituræ* veniebat regius adsensus electionibus adhibitus & concessio bonorum ecclesiasticorum solemni baculi & annuli pastoralium traditione facta. Unde mortuis Episcopis & Abbatibus annuli & baculi pastorales in aulam mittebantur, ut inde Episcopi & Abbates ante consecrationem à Principibus investirentur (*g*). Origo investituræ est à latifundiis & feudis, quæ una cum regalibus sive pia devotione, seu potius ad firmandas novas dominationes Impe-

(*a*) Can. XXV. D. 63.
(*b*) Florus Diaconus de Electionib. cap. 6.
(*c*) Lupus dissert. de Reg. Episc. nominat. cap. 1.
(*d*) Can. XXXIV. D. 63.
(*e*) Hincmar. Rhemens. epist. XII. ad Ludovic. Balbum.
(*f*) Marc. de C. S. & I. lib. 8. cap 9. & seqq.
(*g*) Guliel. Tyrius lib. 1. Hist. bel. sacri cap. 13.

peratores & Reges Ecclesiis & Monasteriis liberali manu contulerunt (*a*). Sunt feuda bonorum genus Romanis incognitum, quæ retento supremo dominio, solemni investitura à Principibus propter servitium & officium conceduntur, semperque novi vasalli de more præstito hominio & juramento fidelitatis investituram debent accipere. Ita naturale fuit, ut pro feudis in Ecclesias collatis Episcopi & Abbates, non secus ac alii feudatarii acciperent investituras, quæ inde ad reliqua ecclesiastica bona extensæ sunt. Variis autem symbolis feudorum investituræ explicabantur, sed in re ecclesiastica factæ sunt solemni virgæ & annuli pastoralis traditione, forsan ut temporalis cæremonia ad rem accederet spiritualem. Nam alioqui constat, sacro illo signo Principes nihil spiritualis tradidisse, quod diserte tradit Ivo Carnotensis (*b*), & ipsi Principes agnoscebant & profitebantur. Sub Clodoveo II., qui primus feuda Ecclesiis concessit, exempla inveniuntur investiturarum (*c*), quæ inde sub Carlolingicis Regibus in usum abierunt assiduum, easque deinceps & Imperatores Occidentis in Imperio, & Reges Galliæ, Italiæ, Angliæ, Scotiæ, Hungariæ, Poloniæ passim usurparunt. Quin Orientis Imperatores etiam solemni annuli & baculi traditione Patriarchas & Abbates investierunt (*d*), quæ consuetudo à Leone Isauro forsan primum usurpata, potius à jure sacrorum, quod integrum fere Græci Imperatores invaserunt, quam à feudis videtur repetenda. In Occidente ergo nono sæculo sic fere Episcopi constituebantur. Principes rogati concedebant canonicas electiones, electi Regibus ad recipienda bona ecclesiastica sistebantur, & tandem sequebatur ordinatio (*e*).

Mutata post tot clades solemnitas investituræ.

§. XII. Nihil male in se spectatæ continebant investituræ, & ita eas, quousque Principes recte usi sunt, Ecclesia non improbavit. At inde earum abusu extinctæ penitus canonicæ electiones (*f*), passim pretio concessæ Ecclesiæ & monasteria, Episcopi & Abbates plus nimio Principibus addicti, creditumque etiam sacro annuli & baculi signo à Principibus dari spiritualia (*g*). Amplius ergo Ecclesiam ancillari Pontifices non sustinentes infracta libertate abolendas investituras susceperunt, signumque ad pugnam Gregorius VII. extulit, pari vi continuarunt successores. Plures tum in Italia, tum in Gallia celebratæ Synodi damnarunt investituras, dantes & accipientes excommunicationi subjecerunt (*h*). Iteratis hisce Synodorum decretis Galliæ Reges annuli & baculi solemnitatem remisere, soloque

(*a*) Natal. Alexand. diss. IV. in sæc. XI. art. 1.
(*b*) Epist. LX.
(*c*) Petrus de Marca lib. 8. de C. S. & I. c. 19.
(*d*) Lupus diss de Laica antist. invest. c. 2.
(*e*) Hincm. Rhemens. epist. XII. ad Ludovic. III.
(*f*) Guilielm. Tyrius lib. 1. Belli sacri cap. 13.
(*g*) Petrus Damian. lib. 1. epist. XIII.
(*h*) Natal. Alexand. cit. diss. art. 3. & seqq.

que assensu, aliove signo episcopatus concedere cœperunt (*a*). Sed alii Occidentis Principes, in primis duo Henrici IV. & V. Imperatores investiturarum remissione jura regi deminui existimantes in annuli & baculi solemnitate perstitere. Plures ergo Episcopi Ecclesiis ejecti suis, Imperium internis moribus agitatum, Italia armis invasa, Pontifices ad sui tuitionem externa auxilia petere coacti, Paschalis II. summus Pontifex pluresque Episcopi & Cardinales vi doloque Henrici V. capti & in carcerem detrusi, unde, nisi extorto investiturarum privilegio, non dimissi. In libertatem receptus Pontifex Romæ Synodum celebravit, in qua sub nomine *privilegii* rescissum & damnatum fuit ab Henrico extortum privilegium, eoque humilitatis sanctus Pontifex seipsum abjecit, ut insignia deposuerit pontificatus paratus ad satisfaciendum Ecclesiæ, de cujus violata libertate incusabatur, eoque nomine deposcebatur ad depositionem (*b*), præsertim quando hac tempestate plerique investiturarum concessiones hæresim reputarent (*c*). Irarum ergo & bellorum causa recruduit, nec nisi sub Calixto II. in Concilio Lateranensi an. CIↃCXXII. controversia hæc, quæ quinquaginta circiter annos rempublicam & Ecclesiam agitaverat, inter Imperatorem & Ecclesiam composita est, ratione, quæ utrique parti satisfaceret, excogitata. Etenim restitutis omnino liberis canonicis electionibus, & abolita simonia, statutum, ut non baculo & annulo, sed sceptri traditione fierent investituræ. Mirari subit, cur non antea hoc temperamentum fuerit adhibitum; nam in tantis angustiis unum de duobus erat faciendum, vel feuda Regibus dimittere, quod sane gloriosum erat pro Ecclesia, vel modum excogitare, quo salvis juribus summæ potestatis, & emendatis abusibus, spiritualia tradi per Principes non viderentur.

Jure novo electio Pontificis fit à Cardinalibus.

§. XIII. Turbæ in occidentalibus Ecclesiis Regum nominationibus evaserunt minus frequentes, at in Ecclesia Romana, quæ integram fere retinuit libertatem electionis, nunquam cessarunt, quin in dies magis magisque creverunt. Unde Pontificis electio paulatim ad solos Cardinales, uno conclavi inclusos, devoluta est. Et primum quidem Synodus Romana sub Nicolao II. an. CIↃLIX. occasione turbarum, quas excivit Joannes Episcopus Velitrensis, qui armato milite cinctus Romanam cathedram invasit, statuit ut tantum Episcopi Cardinales de electione Pontificis convenirent tractaturi, & inde assumptis Clericis Cardinalibus eligerent Pontificem, cui electioni reliquus Clerus & populus accederent (*d*). Inde Clero non Cardinali & populo sensim penitus excluso, ad evitanda schismata statuit Concilium Lateranense sub Alexandro III. ut rata tum esset Pontificis electio si duæ Cardinalium partes in unum convenirent (*a*). Addita est decreto Gregorii X. in Concilio generali Lugdunensi necessitas conclavis, ut nempe uno conclavi fere in loco, ubi mortuus est Pontifex, Cardinales inclusi, eligant Pontificem, unde, nisi facta electione non discedant (*b*). Cardinales præsentes, expectatis absentibus decem dies, conclave ingrediuntur, salvo tam absentibus jure ingrediendi conclave re integra post decem dies, & egressis redeundi. Nullus vero ex Cardinalibus etiamsi excommunicatus, suspensus, aut interdictus sit, ab electione Pontificis excluditur. Quin etiam ex Clericis non Cardinalibus, & alienigenis eligi potest in Pontificem, quamvis ab Urbano IV. ad hæc nostra tempora semper Papa ex Cardinalibus electus sit. Quæ omnia speciali jure recepta sunt, ne ex diutina Ecclesiæ Romanæ vacatione universa damnum sentiat Ecclesiæ.

(*a*) Ivo Carnotens. epist. LX.
(*b*) Gotfridus Viterbiensis part. 17. Chron.
(*c*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 32., Christ. Lupus diss. de Laica antist. investitura cap. 3.
(*d*) Can. I. D. 23.

Electio vero Episcoporum à capitulis cathedralibus.

§. XIV. Ipse quoque Episcoporum electiones exclusis cleri inferioris & populi suffragiis in Occidente solis capitulis cathedralibus cesserunt. Variis Regum nominationibus, & præsertim investituris, suffragia populi ita ceciderant, ut quo tempore canonicæ electiones sub Calixto II. restitui cœperunt, non amplius populi videntur fuisse suffragiorum appetentes. Capitula vero cathedralia ex quo Clerici sub Chrodogango in vitam communem coaluerunt, & inde etiam relicta communi vita strictius Episcopo adhæserunt, & cum eo unum corpus efformarunt, quod universum referebat presbyterium (*c*). Unde facile fuit capitulis cathedralibus non minus populum sui juris minus appetentem, quam reliquum inferiorem clerum, qui non amplius presbyterii pars erat, ab Episcoporum electionibus excludere, præsertim accedente exemplo Ecclesiæ Romanæ, in qua jus eligendi Pontificis ad solos Cardinales, qui Senatum Ecclesiæ Romanæ componebant, transierat. Tempore Innocentii III. adeo privative ad solos Canonicos cathedrales Episcoporum pertinebat electio, ut ne ipsi quidem Episcopi suffraganei cum capitulo ad metropolitæ concurrerent electionem (*d*). Et ex hoc demum tempore varii prodierunt Canones & Pontificum rescripta, quibus solemnitates & formæ electionis in capitulis celebrandæ constituuntur, & exortæ deciduntur controversiæ.

Electionis formæ.

§. XV. Generatim electionis species plures esse possunt; sed in eligendis prælatis, quorum morte vidua & sine pastore Ecclesia dicitur, jure Decretalium tres sunt, *scrutinium* nempe, *compromissum*, & *inspi-*

(*a*) Cap. 6. ext. de Elect.
(*b*) Cap. 3. de Elect. in 6., Clement. II. de Elect.
(*c*) Cap. 4. ext. de His, quæ fiunt à præl. sine consen. cap.
(*d*) Cap. 4. ext. de Postulat. prælat.

piratio (*a*). In electione per scrutinium, quæ ordinaria est, præsentibus omnibus, qui debent, volunt & commode possunt interesse, electione nullis adstricta solemnitatibus assumuntur tres de collegio fide digni, qui omnium etiam à seipsis inquirunt, scrutanturque suffragia, unde nomina *scrutatorum* & *scrutinii* (*b*), idque *secrete*, nemine nempe ex non scrutatoribus audiente, *singillatim*, hoc est non à pluribus conjunctim, & *diligenter* attendentes, ut omnes omnino præsentes electores debitis modis ferant suffragium. Collecta suffragia ipsi scrutatores expendunt, & conditionata, dubia, alternativa rejiciunt, & qui ea tulerunt pro ea vice excidunt suffragio (*c*), reliqua vero omnia admittunt, & in scripturam redacta mox *in communi* palam facere debent, ut tantum numerus personarum, quæ suffragium tulerunt, exprimatur (*d*). Inde fit suffragiorum collatio, isque censetur *electus*, *in quem omnes, vel major & sanior pars capituli consensit*. Beneficia ecclesiastica conferenda sunt dignioribus, & hinc potius ponderanda, quam numeranda suffragia. Sed ne in rixas & turbas suffragiorum ponderatione evaderent electiones, moribus receptum est, ut major capituli pars exprimat totius corporis consensum (*e*). Per compromissum fit electio, quando à capitulo nemine dissentiente uni vel pluribus etiam extra capitulum Clericis electio committitur, idque inductum ne frequentibus capitulorum dissensionibus non sine Ecclesiarum damno in longum trahantur electiones. Compromissarii leges adjectas compromisso servare tenentur (*f*), quæ si nullæ fuerint expressæ, eæ censentur appositæ, quæ secundum Canones omnibus insunt electionibus. Si plures sint compromissarii ille censetur electus, qui majorem numerum punctorum tulerit; in quo à scrutinio differt compromissum. A compromissariis electus, re integra non revocato compromisso, non potest recusari (*g*). Et demum per inspirationem fit electio, quum nullo præcedente speciali tractatu, suffragia omnia veluti à divino spiritu excitata in unam personam conferuntur. Peccatis nostris inspirationes factæ rariores, quin ne facile hodie admitti debent, ne prætextu divini impulsus regulæ electionum ab Ecclesia præscriptæ negligantur, & aditus electionibus tumultuariis aperiatur (*h*).

Solemnitates omnibus electionibus communes.

§. XVI. Generatim vero electiones omnes multa habent communia. In primis (I) justa prælato sunt persolvenda (*i*), nec ante ad successoris deveniendum electionem: singularisque profecto consuetudo olim Ale-

(*a*) Cap, Quia propter 42. ext. de Elect.
(*b*) Florens com. ad tit. Decretal. de Elect.
(*c*) Cap. 2 eod. in 6.
(*d*) Barbosa lib. 1. Jur. Eccles. cap. 19. n. 216.
(*e*) Cabassut. lib. 2. Theor. & prax. jur. can. cap. 24. n. 14.
(*f*) Cap. 32. ext. eod.
(*g*) Cap. 33. ext. eod.
(*h*) Espen. part. 2. tit. 21. cap. 4. §. 9.
(*i*) Cap. 36. ext. de Elect.

Alexandriæ obtinuit, ut non adhuc sepulto mortuo Episcopo novus eligeretur (*a*). Celebrari (II) quoque debent electiones omnes publice & palam in Ecclesia, aut alio loco consueto, quod jus, reprobatis electionibus clandestinis (*b*), semper servavit Ecclesia. Sunt electiones clandestinæ, quæ celandi animo per privata conventicula importuno tempore & loco celebrantur: quale fuisse M. Athanasii electionem olim Ariani calumniabantur. (*c*). In omni porro electione (III) advocari debent omnes de capitulo, qui suffragium habent, & possunt interesse, tam præsentes, quam in eadem provincia absentes, darique oportet absentibus tempus competens, quo se præsentes sistant. Ex justis vero causis absentes etiam vicaria unius de collegio opera suffragium ferre possunt (*d*). Demum (IV) novo Decretalium jure trium mensium spatio Episcopi & majores dignitates regulares, cæteri vero beneficiarii intra sex menses eligi debent (*e*). Hoc autem semestre non à die vocationis, sed à die scientiæ numeratur (*f*), & porro utrumque tempus non currit, si justa causa, quominus electio fiat, sit impedimento (*g*). Si tempore præscripto electio non celebretur, eligentes cadunt jure electionis, & pro ea vice sacerdotis constitutio devolvitur ad superiorem (*h*). Et hoc est negligentiam supplere prælatorum: meritoque inductæ devolutiones, ne cum damno Ecclesiarum impune esset trahere in longum electiones.

Postulatio *ejusque forma.*

§. XVII. Jure Decretalium species electionis, sed extraordinariæ, censetur *postulatio*. Populi & Cleri suffragia quandoque in antiquis Canonibus nomine *postulationis* designantur (*i*): atque adeo postulatio eadem erat ac electio: nec si populus minus idoneum expetebat, actu ab electione distincto erat procedendum, sed de more fiebat electio, quam metropolita cum Episcopis provincialibus expendens, vota populi admittebat, aut rejiciebat, prout utilitas Ecclesiarum postulabat. Sed labentibus annis cum magno numero cœpissent minus idonei ad dignitates ecclesiasticas adspirare, *electio* & *postulatio* in duos distinctos actus abierunt, ita nempe ut electio esset idoneorum, postulatio vero vitio canonico laborantium. Unde postulatio est instans capituli petitio ad superiorem directa, ut ex indulgentia ad Clerum vel dignitatem ecclesiasticam eum admittat, qui canonico vetatur impedimento. Ergo in postulatione ante omnia procedit electio, in qua ex majori suffragiorum numero concluditur, nisi

(*a*) Epiph. hær. 96.
(*b*) Cap. 42. §. ult. ext. eod.
(*c*) Philostorg. lib. 2.
(*d*) Cap. 42. ext. eod.
(*e*) Cap. 41. ext. de Elect. cap. 2. ext. de Concess. præb.
(*f*) Cap. 3. ext. de Suppl. neglig. prælat.
(*g*) Cap. 41. & ult. ext. de Elect.
(*h*) Cit. cap. 41., cap. 3. ext. de Suppl. neglig. prælat.
(*i*) Can. XVI. D. 61., Can IX. D. 65.

si *postulabilis* cum *eligibili* concurrat, nam in hac specie ad excludendum *eligibilem* duplo majora puncta requiruntur (*a*). Celebrata electione preces ad superiorem instituuntur, ut Canones relaxando postulatum admittat. Superior, cui preces postulantium diriguntur, si Episcopi postulentur, est summus Pontifex (*b*), proximi vero superiores in inferioribus prælatis. Integrum vero est Pontifici preces non admittere, quia magis est gratiæ, quam justitiæ veniam Canonum indulgere (*c*), quamvis sine justa causa inferiores prælati postulationem rejicientes à summo Pontifice cogi possint (*d*). Admittitur vero postulatio prævia causæ cognitione, qua inquiritur in solemnitates postulationis, & vero etiam num è re ecclesiastica sit pro ea vice cum impeditis dispensare. Et quoniam à superioris indulgentia pendet admissio postulationis, designatus ante admissionem nullum jus adquirit, & re integra, hoc est nondum petitione superiori præsentata, capitulum consilium recte mutabit suum.

Consensus electi in electionem.

§. XVIII. Post electionem jure celebratam electi oportet exquirere consensum (*e*), quod adeo verum est, ut consensu ante electionem postulato propter ambitus suspicionem electio non subsistat (*f*). Præsentata electione unius mensis spatio debet electus consentire, nisi jure per electionem quæsito cadere velit (*g*). Satis profecto sunt unius mensis induciæ, quo quis deliberet, num injectum onus subire debeat, expendatque precibus ad Deum fusis & prudentum etiam adhibito consilio, num propriæ vires & virtutes respondeant vocationi. Quamvis enim qui gradus ecclesiasticos sponte appetunt, nisi in votis tantum sit labor & opus & studium exercendæ charitatis, indigni sint & rejiciendi (*h*); ubi tamen justa præcedit Ecclesiæ vocatio, & requisitæ adsunt qualitates cum laude injectum onus sponte admittimus, modo tantum opus bonum intendamus. Semel autem ab electo admissa electione, electores amplius non possunt resilire (*i*), potestque electus, electoribus etiam invitis, à superiore petere electionis confirmationem, non vero ante confirmationem Ecclesiæ se admiscere administrationi, quod si faciat jure per electionem quæsito statim excidit. Non electio, sed confirmatio moribus præsentibus pastorem constituit. Solis Episcopis & Abbatibus extra Italiam, qui ἀμέσως à Pontifice pendent, vel ab ipso petere debent confirmationem, ob locorum distantiam benigne indultum, ut omnibus suffragiis electi interim Ecclesias administrent (*a*).

(*a*) Cap. 3. ext. de Postul. prælat. cap. 40. ext. de Elect.
(*b*) Cap. 4. ext de Postul. prælat.
(*c*) Cap. 3. ext. eod.
(*d*) Barbosa lib. 1. de Jur. Eccles. cap. 19.
(*e*) Cap. 34. ext. de Elect., cap. 8. eod. in 6.
(*f*) Cap. 46. ext. eod.
(*g*) Cap. 6. eod. in 6.
(*h*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 65. & seqq.
(*i*) Cap. 21. & seq. ext. de Elect.

An electus cogi potest ad assensum?

§. XIX. Quid si electus factæ electioni recuset consentire, an ad assensum recte cogitur? Primis sæculis nil frequentius, quam vi inflatæ plebis, aut etiam Episcopis auctoribus facta ordines collati. Ita vi ordinati sunt Athanasius, Ambrosius, Paulinus, Nepotianus, Paulinianus, Augustinus, Martinus Turonensis, Macedonius anachoreta aliique. Tantum sacro ministerio digni censebantur, qui ordinabantur inviti (*b*). Contra vim calcitrare nihil quidquam proficiebat, nisi per Christi nomen jurassent, se ordinationem non admissuros, quod Basilius tradit (*c*). Et hinc forsan raptorum per vim os subinde tenebatur, ne jusjurandum pronuntiarent (*d*). Suo modo sacerdotia munera reputabantur publica, quæ imponuntur etiam invitis. Qui vero sic ad sacerdotia rapiebantur, non ex contemptu sacri ministerii, aut pertinaci inobedientia regugnabant, sed quod se tanto muneri impares reputarent, vel quod solitudini addicti, quiete tantum delectarentur. Sed inde lege Leonis & Majoriani Imperatorum (*e*), & decretis Simplicii Pontificis (*f*) & Concilii Arelatensis III. (*g*) ab ordinationibus vis remota est, invaluitque disciplina, ut ad sacerdotia tantum consentientes admittantur. Itaque moribus præsentibus si ad dignitates ecclesiasticas vocati non consentiant, quod in tanto earum ambitu non adeo frequens est, rationibus, obsecrationibus, increpationibus expugnandi, modo alias digni sint, & obtentu infirmitatis suæ electionem non admittant; & si ita repugnantia non frangatur, vis non debet inferri.

Quî desiit regius in electiones assensus.

§. XX. Jam Principum in Episcoporum electiones assensus antiquis moribus inductus etiam translatis ad capitula cathedralia electionibus jure Decretalium requiri debet (*h*). Sed distant Decretales à moribus ante receptis; etenim jure Decretalium post electionem debet regius assensus postulari, eoque posthabito electio non infirmatur; sed pristinis moribus regius assensus fere ipsam antecedebat electionem: quo jure etiam post translatas in capitula electiones, Reges aliqui, in primis Galliæ, uti non desierunt. Apud nos

(*a*) Cap. 44. ext. de Elect., cap. 5. eod. in 6.
(*b*) L. 31. Cod. de Episc. & Cleric.
(*c*) Epist can. ad Amphiloch. Can. X.
(*d*) Eph. epist. ad Joann. Hierosolym.
(*e*) Novel. II. in Append. Cod. Th.
(*f*) Epist. II. ad Joann. Raven.
(*g*) Can. VII.
(*h*) Cap. 14. & 28. ext. de Elect.

nos temporibus Nortmannorum etiam viguit regii assensus necessitas, & pupillo adhuc Federico II. *vice regia* Innocentius III. ejus balius electionibus consensit (*a*). Sed eo rem redegit Innocentius, ut tantum in speciem jus regium servasse videatur, etenim ea lege Constantiæ Friderici matri, ipsique puero Friderico dedit regni investituram, ut Rex requisitus assensum omnino præstaret (*b*), quum antea pactis inter Hadrianum IV. Pontificem & Guilielmum I. initis, & vero etiam de more cæterorum Regum si nullæ contra causæ suaderent, Reges nostri admittebant electiones. Qua de re grandior factus Fridericus ipse conquestus est. Paulo post regno ad Andegavenses translato, desierunt Reges nostri electionibus assentiri: etenim Carolus I. Andegavensis, cui tantum cordi erat novi regni adquisitio, facile ea lege admisit à Clemente IV. datam investituram, ut in creandis Ecclesiarum prælatis nunquam regius assensus requireretur. Generaliter vero labefactari necesse fuit regium hoc jus nominationibus Episcoporum in Pontifices translatis; nam indignum habebatur, electiones à Pontificibus factas consensione Regum confirmari. Etiam Innocentius III. exclusit regium assensum, quo electiones apud Sedem Apostolicam factæ probabantur. *Super electionibus*, inquit in litteris ad Joannem Regem Angliæ (*c*), *apud Sedem Apostolicam approbatis non consuevit assensus Principum expectari.* Quam regulam ea ratione confirmat Christianus Lupus, quod nullo pacto conveniebat directam & probatam à Sede Apostolica electionem laico Regum judicio subjacere (*d*). At Reges electionibus assentientes, non suo judicio subjiciebant directas à Pontifice electiones, sed regia exercebant jura, quibus tanquam populi capita merito aucti sunt.

Electiones & collationes beneficiorum ad Pontificem devolutæ.

§. XXI. Penes capitula cathedralia diu steterunt Episcoporum electiones, quo eodem tempore dignitates Ecclesiarum & canonicatus capitula, interveniente aliquando Episcopo, eligebant, cætera beneficia collationis Episcoporum erant. At lapsu temporis mutata disciplina, electiones Episcoporum & omnium fere beneficiorum collationes ad Pontificem devolutæ. Paulatim tanta moles inædificata, administris mandatis de providendo, reservationibus, præventionibus. Mandatis Pontifices capitulis aliisque beneficiorum collatoribus præcipiebant, ut certis designatis personis conferrent beneficia: præventionibus primi occupabant & conferebant, nihil imminuto pro sequentibus vacationibus jure collatorum; reservationis vero quidquid juris habebant collatores in Sedem Apostolicam transtu-

(*a*) Cap. 18. ext. eod.
(*b*) Innoc. III. lib. 1. epist. CCCCX.
(*c*) Ap. Matth. Paris. an. 1208.
(*d*) Diss. de Reg. antist. nominat. cap. 6. tom. 6. oper. E. V.

tulerunt. Viam aperuerunt reservationibus ultra tempus protractæ electiones, frequentes inter eligentes electosque discordiæ ad supremum Apostolicæ Sedis judicium deferri solitæ, bella & discordiæ inter Pontifices & Reges, & vero etiam Principum preces, quibus à Pontificibus petebant, ut certis personis darent episcopatus. Primus Clemens IV. generatim Sedi Apostolicæ reservavit dignitates & beneficia omnia, quæ apud Sedem Apostolicam vacarent (*a*). Sed inde Clemens V. (*b*), Joannes XXII. (*c*), Benedictus XII. (*d*) aliique successores Pontifices suis constitutionibus & cancellariæ regulis novas inducentes reservationes, & antiquas confirmantes, episcopatus omnes & reliqua pene omnia beneficia Sedi Apostolicæ reservarunt. Et quamvis Benedictus XII. & alii Pontifices beneficia sibi reservantes, ad tempus reservationes inducere profiterentur (*e*); reservationes tamen sub successoribus persistebant, quando status Romanæ Ecclesiæ talis erat, ut beneficiorum collationes abjicere non posset. Nec deerant monumenta, quibus mandata, præventiones, reservationes Pontifices tuerentur. Pro certo enim erat, Episcopos esse vocatos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, & Ecclesias omnes majores, minores ab Ecclesia Romana fuisse institutas: quæ duo semel recepta speciosas rationes mandatis, præventionibus, reservationibus pontificiis suppeditabant. Certe Clemens VI. litteris ad Eduardum Regem Angliæ omnium Ecclesiarum & dignitatum fundatione Ecclesiæ Romanæ vindicata, docuit plenariam omnium Ecclesiarum, beneficiorum & officiorum collationem ad Romanum Pontificem pertinere (*f*).

Querelæ contra reservationes eorumque revocatio.

§. XXII. Canonicæ electiones & beneficiorum collationes à capitulis & ordinariis collatoribus in Pontifices translatæ, auxerunt quidem Romanæ Sedis dignitatem, at malorum iliadem non minus in Ecclesiam, quam in rempublicam invexerunt. Episcopi in hac parte, ut in multis aliis, pene non amplius mysteriorum Dei dispensatores, exteri linguæ & legum patriarum ignari, & aliquando Principibus suspecti ad Ecclesias promoti, posthabiti digniores, sexcentæ lites excitatæ, patroni suis privati juribus. Unde factum, ut contra pontificias beneficiorum collationes passim omnes declamarent, Reges, Episcopi, capitula, patroni, nationes omnes. In Concilio Constantiensi an. CIↃCCCCXIV. congregato legati Ecclesiæ Gallicanæ instanter petierunt, canonicas electiones & beneficiorum collationes ordinariis collatoribus restitui; sed Patres unitatem Ecclе-

(*a*) Cap. 2. de Præb. in 6.
(*b*) Clement. *In plerisque* de Elect.
(*c*) Extrav. *Ex debito* de Elect. inter com.
(*d*) Extrav. *Ad regimen* de Præb. inter com.
(*e*) Cit. extravag. *Ad regimen.*
(*f*) Ap. Raynaldum ad an. 1348.

clesiæ, extincto schismate, restituere adlaborantes, articulum de restituendis electionibus & collationibus beneficiorum futuro Pontifici una cum Concilio commiserunt; at inde electo Martino V. re infecta discessum. Ergo paucis post annis in Concilio Basileensi exclamarunt Episcopi, reservationibus abrogatis, canonicas electiones restitui, precesque admittentes Concilii Patres omnes pontificias rescinderunt reservationes, una tantum excepta, quæ sexto Decretalium intexta, juris pontificii facit beneficia in curia vacantia (*a*).

Regiæ Episcoporum nominationes.

§. XXIII. Decretum hoc Concilii Basileensis plaudentes exceperunt Galli, illudque in comitiis Bituricensibus auctoritate Regis probatum an. CIↃCCCCXXXVIII. in *Pragmaticam sanctionem* conjecerunt. Ita in Gallia restitutæ canonicæ electiones, sed in aliis regionibus, ubi decreta Concilii Basileensis non eadem veneratione excepta sunt, reservationes in statu perstiterunt suo. Interim quemadmodum Pontifices ægre ferebant pragmaticam sanctionem; ita reliquos Principes male habebant, sibi subditos canonicos electionibus Episcoporum excidisse, & suorum regnorum Ecclesiis à Romanis Pontificibus Episcopos præfici. Ergo pactis conventis, vel apostolicis indultis nominationes Episcoporum Regibus concessæ, vel capitulis restitutæ, confirmationes vero Pontificibus reservatæ. In Gallia post diuturnas contentiones pragmaticæ sanctionis abolito nomine, pactis conventis inter Leonem X. & Franciscum I. Regibus cesserunt Episcoporum nominationes (*b*). Similiter in Hispania non minus indulto Hadriani VI. summi Pontificis, quam jure patronatus catholici Reges eligunt Episcopos (*c*). Sed in Germania pactis conventis inter Fridericum III. Imperatorem & nonnullos alios Principes & Nicolaum V. capitulis electiones restitutæ. Apud nos vero tantum vigintiquatuor episcopatus sunt regiæ nominationis, quod Clemens VII. Carolo V. ejusque in regno successoribus indulsit (*d*). Quo vero Principes recte nominationibus Episcoporum defungantur, Ecclesiæ bonum ob oculos habere, & viros spectatæ pietatis & eminentis doctrinæ seligere debent, alias malæ villicationis eorum, quos elegerunt, apud Deum rei sunt. Unde olim Valentinianus Senior rogatus ab Episcopis ut ob mortem Auxentii Ecclesiæ Mediolanensi Episcopum daret, onus defugiit, responditque: *Majus est viribus meis hoc negotium. Vos qui divina gratia ornati estis, ab illo splendore illuminati melius discernetis* (*e*).

CA-

(*a*) Cap. 2. de Præb. in 6.
(*b*) V. Petr. de Marca lib. 6. de C. S. & I. cap. 9.
(*c*) Covarrubias ad cap. *Possessor* part. 2. §. 10. n. 5.
(*d*) Regens de Ponte dec. 12. Regens de Narinis resolut. lib. 1. cap. 152. n. 15.
(*e*) Ap. Theodoret. lib. 4. cap. 5.

CAPUT XXII.

De examine ordinandorum & electorum confirmatione.

Examen ordinationi præmittendum.

§. I. Nomine examinis in cooptandis sacris ministris intelligimus diligentem perscrutationem qualitatum, quas in Clericis Canones requirunt. Manus cito nemini imponendas omnibus Episcopis Timotheum adloquens Apostolus præceperat (*a*). Vetans autem Apostolus *cito* manus imponi, ex antiquorum Patrum sententia jussit, Sacerdotes adsumi, *non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia*, sed ubi consideratio diuturna & exactissima discussio præcessit (*b*). Valebant quidem in ordinandis Clericis populi suffragia ad bonorum merita prædicanda, & malorum vitia detegenda, præsertim ubi ambitus aberat à sacris ministeriis; at in re tanti momenti ulteriorem etiam adhibitam Ecclesia voluit diligentiam, unde factis ipsis constaret aptos & idoneos esse, qui Sacerdotes creabantur. *Nullius*, statuunt Patres Concilii III. Carthaginensis (*c*), *ordinetur Clericus, nisi probatus fuerit vel Episcoporum examine, vel populi testimonio*, hoc est Episcoporum examine & populi testimonio: in scriptoribus enim quarti & quinti sæculi *vel* sæpe vim habet conjunctionis. Etiam Athenienses quos elegerant in magistratus examini, quod dicebant δοκιμασίαν, *explorationem*, subjicebant (*d*). Qui examine non præmisso ordinantur, *furtive* ordinari dicuntur. Furtive ordinati generaliter olim à Clero abjiciebantur (*e*); at jure Decretalium ante ordinationem sub excommunicatione proposito interdicto, ne non examinatus accedat, furtive ordinati perpetuum alieni sunt à Canone, tantumque post susceptum habitum regularem à Pontifice restituuntur; interdicto vero omisso Episcopi venia in ordinibus susceptis ministrabunt, & ad majores promoventur (*f*).

Spectat examen præcipue mores & scientiam ordinandorum.

§. II. Ordinationi præcedens examen spectat certe omnes canonicas Clericorum qualitates, at præcipue versari debet circa mores & scientiam cuique gradui convenientem. Sane integri mores & scientia adeo necessaria sunt in regimine animarum, ut iis destituti Clerici oneri potius, quam ædificationi sint Ecclesiæ. Pro recta morum exploratione olim inductum, ut nullus peregrinus ignotus in

(*a*) 1. Ad Timoth. V. 22.
(*b*) Chrysost. hom. XVI. in 1. ad Timoth.
(*c*) Can. II. D. 24.
(*d*) Potterus lib. 1. Archæolog. Græcæ cap. 11.
(*e*) Can. IV. D. 81.
(*f*) Cap. 1. & seqq. ext. de Eo, qui furtive ord. suscepit.

in aliena Ecclesia Clericus ordinaretur (*a*), statuitque Synodus Meldensis (*b*), ut nemo ordinetur, nisi in civitate, ubi examen instituitur, ad minimum uno moretur anno. Bene siquidem acta vita regulariter externis probatur testimoniis, quæ tum sunt idonea, quum qui testantur ipsi probati & diligentes viri sunt, & vitam conversationemque ejus, de quo ferunt testimonium, cognitam habent & perspectam. Scientia vero exploratur propositis interrogationibus de iis, quæ scire Clericos oportet. Speciatim formulam inquisitionis scientiæ in Episcopo requisitæ proponunt Patres Concilii III. Carthaginensis, qua non tantum eæ proponuntur quæstiones, quæ tum erant doctrinæ controversæ, verum etiam generalis continetur inquisitio, *si in lege domini instructus, si in Scripturarum sensibus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus* (*c*). Similiter Patres Concilii septimi generalis Can. II. diligenter à metropolita inquiri præcipiunt, num Episcopus promtam Scripturarum & Canonum scientiam habeat. Gradus academici idonei testes de scientia forent, modo dignis & de litteris bene meritis concederentur, nec in vile abiisent mercimonium.

Jus & methodus examinandi Episcopos.

§. III. Instituitur autem examen ex oficio, & quidem ab eo, cujus est manuum impositio (*d*). Ita Episcoporum examen spectabat ad metropolitam & Episcopos comprovinciales, metropolitarum ad Patriarchas, et in iis diœcesibus ubi nulli erant Patriarchæ, ad ipsos Episcopos comprovinciales. Primis sæculis in plerisque provinciis eodem tempore populus Episcopum petebat, & metropolita provinciæque Episcopi in Ecclesia vacante præsentes in electi inquirebant qualitates, & manus imponebant (*e*); sed inde turbis in longum distractis electionibus, decretum electionis Cleri & populi subscriptionibus & testimonio visitatoris munitum missum fuit ad metropolitam, qui accitis provinciæ Episcopis de electi qualitatibus instituit inquisitionem. Ipsi etiam qui è palatio mittebantur Episcopi ordinandi examini metropolitæ & Episcoporum subjiciebantur: qui in hac specie ex Concilio III. Valentino an. IↃCCCLV. celebrato rigor examinis intendebatur, ne in ovile Christi minus probatus pastor irreperet. Electionibus ad capitula cathedralium devolutis judicium examinis ad formulas forenses accommodatum est. Metropolita specialiter electos & contradicentes citavit, cæteros vero per edictum (*f*), terminoque præterlapso, sive rogatus à partibus, sive ex officio judicium suscepit, scrutatusque est electi qualitates & modum electionis.

Epis-

(*a*) V. sup. cap. 20. §. 16.
(*b*) Regino Prumiens. lib. 1. de Eccles. discipl. cap. 389.
(*c*) Can. IV. D. 23.
(*d*) Cap. 24. ext. de Elect.
(*e*) Cyprian. epist. LXVIII.
(*f*) Cap. fin. de Elect. in 6.

Episcopus instituit examen Clericorum omnium.

§. IV. Presbyterorum autem & reliquorum omnium Clericorum examen Episcopus, cui eorum ordinandorum jus est, debet instituere, nec officii pastoralis onus facile patitur, ut tantam provinciam aliis demandet. Ecclesiæ etenim salus pendet ab optimorum ministrorum constitutione, ac proinde ipse Episcopus examini debet præsidere, ne cito manus imponens, peccatis communicet alienis. Sed jampridem in officio pastorali remissiores facti Episcopi examen ordinandorum aliis demandare consueverunt. Romæ Hieronymi ætate ad Archidiaconi testimonium Presbyteri ordinabantur (*a*). Et in Concilio Nannatensi statuitur (*b*), ut Episcopus à latere suo eligat Sacerdotes, aliosque prudentes viros, gnaros divinæ legis & exercitatos in ecclesiasticis functionibus, qui canonicas ordinandorum explorent qualitates. At Tridentini Patres ab ipsis Episcopis in qualitates ordinandorum inquiri voluerunt, accitis tamen Sacerdotibus & aliis prudentibus, divinæ legis peritis & in Ecclesiæ functionibus versatis (*c*). Ita recentata praxis, quam in recipiendis ad sacros ordines Adeodato Episcopo Gregorius M. (*d*) servandam his verbis præscripsit: *Si quando de his recipiendis* (nempe ad sacros ordines) *tractari necesse est, graves expertosque viros consiliis vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate.*

Indigni removentur, & electio fere devolvitur ad superiorem.

§. V. Jam absoluto ordinandorum & electorum examine, minus idonei removentur, electores, qui scientes prudentes indignum elegerunt, pro ea vice eligendi cadunt potestate, & electio devolvitur ad superiorem. Populi suffragia eo præsertim olim spectabant, ut merita & demerita electorum detegerentur, ut proinde jure suo merito exui debebat populus, qui suffragiis abutens eligeret indignum. Itaque in hoc casu metropolitæ & Episcoporum provincialium erat Ecclesiis Episcopos præficere. Quin quo tempore nominationes Episcoporum erant apud Reges, si facta electionis potestate sciens populus in indignum consentiret, Episcopi constitutio potius ad Regem, quam ad metropolitam aliquando devoluta est (*e*). Penes capitula inde subtilioribus regulis adstrictis electionibus malitia electorum indignum eligentium à vitiis electionis distincta est. Sane si electores scientes eligant indignum, electio nulla est, & ipso jure devolvitur ad superiorem (*f*), modo omnes in indignum consenserint, nam si in ea electione major pars indignum, minor ve-

(*a*) Epist. LXXV. ad Evagrium.
(*b*) Can. V. D. 24.
(*c*) Sess. XXIII. de Ref. cap. 7.
(*d*) Lib. 2. epist. XLVIII.
(*e*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 21. n. 9.
(*f*) Cap. 7. & 20. ext. de Elect.

vero dignum eligat, minoris partis prævalet electio (*a*). Quod si in ipsis electionis solemnibus peccatum sit, sententia opus est, quo jure eligendi capitulum cadat (*b*), nisi confirmatio ad Sedem Apostolicam pertineat, vel electiones per appellationem ad Pontificem deferantur, quibus casibus jus omne ad Pontificem devolvitur, qui aliquando ad ipsos electores remittere consuevit (*c*).

Confirmatio Episcoporum.

§. VI. Quicunque vero per inquisitionem idonei inventi sunt, ad sacrum admitti debent ministerium. Ita Presbyteri & reliqui inferiores Clerici stato tempore ordinantur, Episcopi vero confirmantur, & inde manuum accipiunt impositionem. Confirmatio est concessio episcopatus, per superiorem facta, qua prævia causæ cognitione, probatur electio, & electus pastor Ecclesiæ constituitur. Per decem & amplius sæcula per solam manuum impositionem pastores Ecclesiarum constituti, unoque quasi actu, examine peracto, electus à metropolitano & Episcopis comprovincialibus confirmabatur & consecrabatur. Unde in antiquis monumentis tantum electiones & consecrationes Episcoporum memorantur, nec unquam talis occurrit confirmatio, quæ Ecclesiæ pastorem constituat. A consecratione sejuncta videtur confirmatio circa sæculum XI., quo ordinatio à collatione beneficii distingui cœpit (*d*): sane reipsa confirmatio nihil aliud est, quam collatio episcopatus, quæ veteri stante disciplina, inhærebat ordinationi. Spectat autem confirmatio ad proximum superiorem, solusque metropolita jure Decretalium electos Episcopos confirmat; separata enim à consecratione confirmatio præsentiam plurium Episcoporum minus fecit necessariam. Peti autem debebat ab electo & eligentibus simul, aut à solo electo confirmatio spatio trium mensium à consensu in electionem ab electo præstito, quo tempore exacto irrita erat electio, si nulla justa causa petitioni fuisset impedimento (*e*). Interim à judicio superioris electionem confirmantis, aut rejicientis ad Pontificem appellabatur, unde nova judicia, quibus scatent libri Decretalium.

Effectus confirmationis.

§. VII. Jam ex nova disciplina confirmationis, quæ Ecclesiæ pastorem constituit, plures insignesque sunt effectus. Inter Ecclesiam & Episcopum intercedens spirituale conjugium, quod electione initiatur, ratum fit confirmatione, & manuum impositione completur, quod Innocentius III. docet (*f*). Episcopi confirmatione omnium sacram con-

(*a*) Cap. 22. & seq. ext. eod.
(*b*) Cap. 42. & 50. ext. eod.
(*c*) Florens ad tit. de Elect.
(*d*) Espen. part. 1. tit. 14. cap. 1.
(*e*) Cap. 41. & ult. ext. & cap. 6. de Elect. in 6.
(*f*) Cap. 4. ext. de Translat. Episc.

consequuntur jurisdictionem (*a*), iis tantum exceptis, quæ ἀμέσως ab ordinatione pendent: statim episcopalibus insignibus & privilegiis utuntur (*b*); nec jure Decretalium aliud erat opus, quo Episcopi Ecclesiæ suæ bona administrarent (*c*). Ita consecratio in partes veluti tributa est, ejusque plerique effectus una cum examine electionis confirmationi cesserunt, tantumque ordinatio retinuit ordinis potestatem & episcopalis characteris dationem. Quæ omnia antiquæ adversantur disciplinæ, quæ pastoris constitutionem & omnem sacram potestatem ab ordinatione repetebat, nec inter ordinis & jurisdictionis potestatem agnoscebat differentiam (*d*). Ipsi Romani Pontifices quamvis legitime electi ante consecrationem pastores non habiti. Certe nec Anastasius Bibliothecarius, nec quisquam alius antiquorum Stephanum II. vulgo dictum inter Pontifices retulit, quod ante consecrationem obierit. Primus Baronius ex nova disciplina hunc Stephanum inter Pontifices recensuit, & ita cæteros deinceps omnes uno submovit gradu, & quem alii appellant Stephanum II., ipse Stephanum III. cœpit appellare, ut Papebrochius adnotavit (*e*). Id tantum de antiqua superest disciplina, quod ante consecrationem confirmatus Episcopus simpliciter non dicitur, sed cum addito *electus*.

Hodie summus Pontifex electiones Episcoporum confirmat.

§. VIII. Sed tandem confirmationes Episcoporum in Occidente una cum episcopatuum reservationibus ad Pontifices delatæ sunt. Stante jure confirmandarum electionum penes metropolitas pluries contigit, ut Pontifices factas à capitulis Episcoporum electiones confirmarent, aut darent Episcopos, sive quod per appellationes interpositas ad Romanam Sedem judicia electionum devolvebantur, sive quod electiones stato tempore non fierent, sive quod electi ipsi malebant à Pontifice, quam à metropolita confirmari. Sed inde quum Episcoporum electiones sibi Pontifices reservassent, quod erat consequens, etiam confirmationes Sedi Romanæ cesserunt. Indignum profecto visum superioris judicium ab inferiore confirmari. Inde pactis conventis inter Pontifices & Principes, aut etiam Pontificum indultis tributæ quidem sunt Principibus Episcoporum nominationes, aut etiam capitulis cathedralibus restitutæ sunt electiones; at jus confirmandi Episcopos omnes Pontifici relictum est. Expediunt autem Pontifices prævia causæ cognitione in consistorio Cardinalium non sine solemnibus confirmationes, videturque consistorium Cardinalium successisse in locum Synodi Episcoporum, quæ præ-

(*a*) Cap. 7. & 15. ext. de Elect.
(*b*) Cap. 17. ext. eod.
(*c*) Glossa in d. cap. 15.
(*d*) Espen. part. 1. tit. 14. cap. 5.
(*e*) Conat. Chron. hist. ad vit. Stephani II.

præsidente metropolita Episcopos constituebat. Ita confirmatione Pontificis electi fiunt Ecclesiarum pastores, sed contra regulas Decretalium non possunt suarum Ecclesiarum se admiscere administrationi, nisi post acceptas à Pontifice litteras, quæ de confirmatione, seu consecratione testentur (*a*). Quin institutis provinciarum, quæ etiam apud nos obtinent, nec id faciunt, nisi postquam litteræ Pontificis solemni *regio placito*, ut vocari solet, donatæ sint.

CAPUT XXIII.

De sacris ordinationibus, & primo de earum ministro & subjecto.

Varia nomina sacræ ordinationis.

§. I. Semel electi & probati ad ministerium ecclesiasticum sacro proprioque ritu initiantur, & potestatem accipiunt spiritualem. Pluribus autem nominibus sacer ritus, quo altaris ministri initiantur, dicitur in monumentis ecclesiasticis. Passim Latini appellant *ordinationem*, quæ vox modo ipsum significat sacrum ritum, quo ordinibus initiamur, modo latiorem habet significationem, complectiturque ipsam electionem & manuum impositionem, quo latiore sensu voce *ordinationis* Cyprianus (*b*), Leo M. (*c*), Concilium Arelatense II. (*d*) aliique veteres passim utuntur. Nempe, ut observat Budæus (*e*), *ordinare* quum ad hominem refertur, est aliquem ad honorem & magistratum promovere, seu, ut loquitur Cicero, ornare & honoribus augere. Et sacri ministri electione & sacro ritu promoventur; atque ita factum, ut scriptorum frequenti usu *ordinatio* modo ipsum sacrum ritum, modo integram cæremoniam electione & sacro signo constantem significaret. Porro Latini ordinationes nomine *benedictionis* designant: quo sensu Leo M. *benedictionem* usurpat (*f*); & Zosimus Papa & Concilium Agathense (*g*) *benedictionem diaconatus* dixerunt. Est namque ordinatio species quædam benedictionis, qua rogatur Deus, ut uberiorem gratiæ suæ lumen in novum ministrum infundat. Nec minus frequenter ad benedictiones ministrorum denotandas adhibetur vox *consecratio*, quod per eas Clerici à rebus profanis seponuntur & Deo consecrantur. Græci vero voce χειροτονίας, *manuum impositionis*, designant sacram ministrorum initiationem, idque quia sacrorum ministrorum præcipui manibus impositis creantur. Interdum tamen χειροτονία ipsam sacrorum ministrorum designat electionem (*a*), eo quod populus christianus extensis manibus & acclamationibus ministros eligebat suos, quo sensu, ut observat Christophorus Justellius (*b*), ab Atheniensibus χειροτονίαν accepit Ecclesia, apud quos testibus Demosthene & Cicerone in comitiis populi manibus extensis & acclamationibus subinde creati magistratus (*c*).

(*a*) Extravag. *Injunctæ* de Elect. int. com.
(*b*) Epist. LXVIII.
(*c*) Epist. LXXXIX. ad Episc. Viennens.
(*d*) Can. LIV.
(*e*) Ad I. *Honores* de Decurionib.
(*f*) Can. IV. & seq. D. 75.
(*g*) Can. II. & VI. D. 77.

Ordinatio est Sacramentum.

§. II. Est autem ordinatio stricto sensu accepta christianæ religionis Sacramentum, quo personis ad officium ecclesiasticum rite vocatis solemni inauguratione gratia & potestas obeundorum munerum spiritualium confertur. Ordinationem esse Sacramentum natura ipsa christiani Sacramenti aperte demonstrat. Sane duo ad Sacramenti rationem requiruntur, unum, ut sit signum quoddam externum á Christo institutum & Ecclesiæ traditum; alterum vero ut gratiam derivet. Utrumque autem continet ordinatio, nam ritu ab Apostolis accepto explicatur per manuum impositionem, & porro Spiritum sanctum effundit. *Admoneo te*, sunt verba Pauli Apostoli ad Timotheum (*d*), *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Antiqui quoque Patres in primis Cyprianus, seu quicumque auctor est sermonum de operibus cardinalibus Christi, Augustinus (*e*), & Leo Magnus (*f*) ordinationem inter Sacramenta recensent (*g*). Et quamvis nullum exstet Christi præceptum de manibus in consecrationem ministrorum imponendis, quin potius videntur Apostoli à Judæis manuum impositionem mutuasse; non tamen sine peculiari Spiritus sancti impulsu id Apostoli fecerunt, præsertim quando Christus miraculosam ipsis manuum impositionem promisisset (*h*). Plures autem sunt ordines, singulique proprio ritu conferuntur, non tamen plura sunt ordinationis Sacramenta. Omnes enim ordines ad sacerdotium referuntur, atque ita omnes in illo unum quodammodo sunt, sicut uno ordinationis nomine continentur, quod B. Thomas docet (*i*).

Quid proprie ordo.

§. III. Jam vero ut modus à re ipsa ordinatio ab *ordine* distat. Scilicet ordinatio est modus, quo sacra potestas confertur, ipsa data potestas *ordo* nuncupatur, unde vulgatum illud *ordines conferre.* Et

(*a*) Suicerus in Thesauro V. χειροτονία.
(*b*) Not. in Can. IV. Laodic.
(*c*) Peiffer. lib. 2. Antiq. Græc. cap. 5.
(*d*) 2. ad Timoth. I. 6.
(*e*) Lib. 2. contra Parmen. cap. 19.
(*f*) Epist. LXXXI. cap. 1.
(*g*) Hallier. de Sacr. elect. & ordinat. part. 2. sect. 2. cap. 1.
(*h*) Marc. XVII. 18.
(*i*) B. Th. in 4. Sentent. dist. 25. q. 2.

Et vero sunt officia ecclesiastica varii generis alia aliis præstantiora: & ita necesse fuit varios ordines seu gradus inter personas ecclesiasticas constituere, quibus ipsa officia & jura iis cohærentia distinguerentur. Itaque quum potestas Clericorum pro varietate graduum distincta esset, facili translatione invaluit, ut ipsa sacra potestas cuique gradui cohærens *ordinis* nomine veniret. Cæterum nomine ordinis quandoque ipsa denotatur ordinatio, ut in titulo Decretalium *de scrutinio in ordine faciendo*. Quin & hoc constat, *ordinem* sæpe denotare peculiarem statum Clericorum, monachorum aliarumque personarum, quo sensu vocabulo *ordinis* usus est Tertullianus (*a*): *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas.* Satis ampla est de sacris ordinationibus tractatio, complectitur scilicet ministrum, subjectum, ritus, effectus, interstitia, earum habendarum tempora & titulum. Hic de ministro & subjecto, deinceps de cæteris dicturi.

Minister ordinationis est Episcopus.

§. IV. Constans est Ecclesiæ sententia, ordinationis ministrum, præsertim si de Episcopis, Presbyteris & Diaconis creandis agatur, esse solum Episcopum, Presbytero vero simul cum Episcopo in creandis Presbyteris manus imponente, dum interea Episcopus precatione fusa expedit ordinationem. Certe Canones, qui receptam Ecclesiæ disciplinam exhibent, semper Episcopum ordinationis ministrum supponunt (*b*). Et Patres diserte docent, supra sortem Presbyterorum ordinationem excurrere. Presbyteros Episcopis Aerium æquantem Epiphanius hoc argumento stoliditatis arguit, quod Episcoporum ordo præcipue Patres Ecclesiæ per ordinationem gignat, Presbyterorum vero solos filios per baptismum. Hieronymus extollit quidem Presbyterorum prærogativam, at excipit ordinationem, quam propriam Episcoporum his verbis facit (*c*): *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Cum Hieronymo consentit Chrysostomus (*d*), qui prope iisdem verbis utitur: *Inter Episcopum & Presbyterum interest ferme nihil.... Sola quippe ordinatione superiores illi* (Episcopi) *sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Quin Chrysostomus (*e*) eo argumento Timotheum fuisse Episcopum demonstrat, quod ordinandi erat donatus potestate. Semper quoque irritas omnique effectu vacuas habuit Ecclesia manuum impositiones à Presbyteris factas. Ita Ischyras ad sortem laicorum à Synodo Alexandrina redactus est, quod Collathus, qui eum ordinaverat, Presbyter tantum erat, quod narrat Athanasius in *Apologia*. Et Synodus His-

(*a*) Exhort. ad castitat. cap. 7.
(*b*) Conc. Nicæn. Can. XIX. Antioch. Can. IX. Chalced. Can. II.
(*c*) Epist. LXXXV. ad Evagr.
(*d*) Hom. XI. in 1. Timoth. III. 8.
(*e*) Hom. I. in Philipp.

Hispalensis gradu dejecit suo unum Presbyterum & duos Diaconos, quibus Episcopo manus imponente, Presbyter quidam benedixit (*a*). Quæ in contrarium proferuntur exempla Diaconorum & Presbyterorum à Presbyteris ordinatorum, veluti Felicissimi Diaconi à Novato, Danielis Presbyteri à Paphnutio, & si quæ sunt alia; ea non excludunt Episcopi manuum impositionem, sed tantum arguunt, Presbyteros curasse, ut ab Episcopis manus imponerentur, ut recte Binghamus observat (*b*). Adhæret ergo manuum impositio ordini episcopali, nec ei, qui Episcopus non est, recte demandatur. Et mira profecto est scholasticorum antiquorum sententia, quæ fert, Presbyteros & Diaconos, & generaliter quemlibet Clericum ex delegatione Pontificis ordinem, quem habet, posse conferre. Illud interim verum est, ordines minores extra ordinem à Presbyteris recte dari: quo jure utuntur Presbyteri Cardinales in Parochis, quas Romæ tenent, & ordinum Abbates, si tamen ordinandi subditi sint & regulares (*c*).

Ad consecrationem Episcopi tres requiruntur Episcopi.

§. V. Jam Presbyterorum & inferiorum Clericorum ordinationes recte ab uno Episcopo celebrantur, sed ad consecrandum Episcopum tres Episcopi requiruntur, quorum unus proprie *consecrator*, reliqui duo dicuntur *assistentes*: quæ disciplina antiquissimis moribus inducta & Canonibus confirmata, semper in Ecclesia stetit. Conveniebant quidem ad Episcoporum ordinationes Episcopi frequentes, at potius quod essent judices electionis, quam quod plures tribus ad manus imponendas haberentur necessarii. Medio sæculo tertio adeo solemnis erat trium Episcoporum numerus ad Episcopum creandum, ut Novatianus se Episcopum contra Cornelium obtrudens, tres Episcopos ab extremis Italiæ angulis ad sui consecrationem acciverit (*d*). Inde jussit Concilium Nicænum, ut cæteris per scripta assentientibus, tres saltem Episcopi ad creandum Episcopum intersint (*e*): quem eundem numerum inde passim Concilia, in primis Arelatense I., Arausicanum I., & Regiense consecrarunt. Spectabat autem præsentia hæc trium Episcoporum potius ad disciplinam, quam ad ordinationis integritatem, quod non obscure colligere licet ex auctore apostolicarum constitutionum (*f*) & Innocentio I. (*g*), qui trium Episcoporum præsentiam ad rei peractæ referunt certitudinem. Et hinc ordinationes Episcoporum à duobus aut uno Episcopo peractas, tanquam validas sæpe admisit Ecclesia, præsertim quando legitimus numerus ha-

(*a*) Conc. Hispal. II. Can. V.
(*b*) Lib. 2. Orig. Eccles. cap. 3. §. 7.
(*c*) Conc. Nicæn. II. Can. XIV. Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 10.
(*d*) Epist. Cornelii ap. Euseb. lib. 6. cap. 43.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. IV.
(*f*) Lib. 3. cap. 29.
(*g*) Can. IV. D. 64.

haberi non poterat, aut temporum conditio summum jus cogebat prætermitti (*a*). Quin vulgo apostolici Canones tanquam jure ordinario proponunt, Episcoporum ordinationes à duobus, aut tribus Episcopis fieri debere, *Episcopus à duobus, aut tribus Episcopis ordinetur* (*b*).

Episcopus extra propriam Parochiam ordines non confert.

§. VI. Propria quidem est Episcoporum ad creandos Episcopos, Presbyteros aliosque inferiores ministros manuum impositio; at ii non passim ubique, sed in suis tantum Ecclesiis possunt explicare ordinationes. Nullis limitibus origine sua episcopalis potestas includitur; at semel ad bonum ordinem parœciarum, provinciarum & diœcesium instituta distinctione, Episcopi, metropolitæ, patriarchæ tantum propriis Ecclesiis debent esse contenti, nec propria auctoritate in alienis Ecclesiis munia recte exercent pastoralia. Itaque quilibet Episcopus tantum in sua parœcia recte manus imponit: quod jus statuerunt olim Canones apostolici & Antiocheni (*c*), deinceps sequentes, & novissime Tridentini confirmarunt (*d*). Et hinc quum Epiphanius, ut testatur Socrates (*e*), Diaconum in diœcesi Constantinopolitana ordinasset, Chrysostomus contra Canones asseruit usurpatum. Bona proprii Episcopi venia opus est, ut in aliena parœcia possint cæteri Episcopi manus imponere, aut alias functiones obire pastorales. Et si aliter fiat, ordinantes & ordinatos Canones apostolici deponi jubent, Antiocheni vero eo ipso, quo Episcopum Synodo subjiciunt puniendum, *infirmas* faciunt ordinationes. At novo Tridentini jure (*f*) Episcopi nemine invitante in alienis Ecclesiis manus imponentes ab usu pontificalium, ordinati vero ab ordinis executione ipso jure cadunt.

Cui competat Metropolitarum & Patriarcharum ordinatio.

§. VII. Porro potestas ordinandi Episcopos provinciæ metropolitæ erat & Episcoporum provincialium, nec unius provinciæ Episcopi in alienis provinciis recte ad gignendos Patres manus imponebant, nisi à propriis Episcopis, ut sibi subsidio venirent, invitati (*g*). Nempe unius provinciæ Episcopi unum faciebant corpus, cui præerat metropolita, senatusque hujus auctoritate negotia omnia provinciæ oportebat explicare. Et hinc ad Episcopi constitutionem Episcopi provinciæ omnes concurrebant, quod omnium ætatum Canones decernunt. Præcipue vero metropolitæ auctoritas adeo habebatur necessaria, ut præter ejus conscientiam Episcopi constituti Episcopi non haberentur. *Illud est omnino manifestum*, inquiunt Nicæni Patres (*a*), *quod si quis absque metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definivit non esse Episcopum.* Similiter jus ordinandi metropolitas erat Episcoporum provincialium, nec necesse erat ad creandos metropolitas ab alienis provinciis Episcopos, aut metropolitas advocare. Et quamvis statuerit Concilium Sardicense ad metropolitæ creationem τους ἀπο τῆς πλησιοχώρε ἐπαρχίας ἐπισκόπους *propinquioris provinciæ Episcopos* advocari (*b*), id tamen in praxim non videtur deductum. Sed inde institutis Patriarchis jus ordinandi metropolitas intra fines diœcesis cessit Patriarchis (*c*), quibus data fuit universæ diœcesis sollicitudo; at nihil imminutum de jure metropolitarum ad provinciæ Episcopos creandos, exceptis tamen Patriarchis Romano, & Alexandrino, qui etiam sui patriarchatus Episcopos creabant (*d*). Et quemadmodum metropolitæ ab Episcopis comprovinciabant, ita Patriarchæ à diœcesis Episcopis & metropolitis ordinabantur (*e*). Ipsum quoque Episcopum Romanum finitimi creabant Episcopi, inter quos Episcopus Ostiensis primas tenebat (*f*). Atque ita quotiescunque Episcopus erat constituendus extraordinaria Episcoporum Synodus aut unius provinciæ, aut diœcesis cogebatur, quemadmodum ejus, qui ordinabatur, amplitudo postulabat. Sed tandem in Occidente jus Episcoporum consecrandorum una cum electionum confirmationibus ad Pontifices Romanos devolutum est.

(*a*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 12.
(*b*) Can. Apost. I.
(*c*) Can. Apost. XXXV. Conc. Antioch. Can. XXII.
(*d*) Trid. sess. VI. de Ref. cap. 5.
(*e*) Lib. 6. cap. 6 14.
(*f*) Trid. loc. cit.
(*g*) Conc. Constantinop. Can. II.

Proprius Episcopus Clericorum erat, qui primus ordinaverat.

§. VIII. Jam vero in propriis Ecclesiis Episcopi non indiscriminatim omnibus, sed subditis tantum suis manus recte imponunt, ut ita quilibet à proprio Episcopo ordinetur. Veteri stante disciplina in promovendis ad altiorem gradum Clericis proprius Episcopus erat, qui primus clericatum contulisset; nec aliis Episcopis fas erat, eo invito, alienos ministros ordinare, quod antiqui omnes Canones Nicæni, Sardicenses, Africani, Chalcedonenses aliique decernunt (*g*). Sane Clerici omnes in ordinatione Episcopo ordinanti, & Ecclesiæ, cui eos affigebat, perpetuum erant adligati, ac proinde sine proprii Episcopi venia nec ad aliam Ecclesiam transire, nec ab alio deinceps Episcopo poterant ordinari. Et inde exoptans Gregorius M., ut eligeretur in Episcopum Syracusanum Catanensis Ecclesiæ Archidiaconus,

(*a*) Can. IV.
(*b*) Conc. Sardic. Can. VI.
(*c*) Conc. Chalced. Can. XXVIII.
(*d*) V. supra cap. 10. §. 4.
(*e*) Conc. Constantinop. ep. ad Occident. ap. Theodor. lib. 5. cap. 5. novel 131. Justin.
(*f*) August. Breviar. collat. tert. die cap. 16.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. XVI., Sardicen. Can. XV., Carthag. III., Can. XXI. Chalced. Can. XX.

nus, necessarium esse intelligebat, ut Catanensis Episcopus in id etiam consentiret. *Quod si factum fuerit*, sunt ejus Pontificis verba (*a*): *etiam frater & Coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri.* Spectabat hæc disciplina ad pacem inter Episcopos fovendam, & ad Clericorum promovendam stabilitatem: quæ duo antiquis moribus tanti erant, ut Concilium Sardicense & Arelatense ordinationes ab alienis Episcopis peractas *irritas* & *infirmas* pronuncient (*b*). A communi regula tantum excipiebatur Episcopus Carthaginensis, totius Africæ exarchus, qui ex omnibus sibi subjectis provinciis Clericos poterat assumere, & in Ecclesiis suæ jurisdictionis Episcopos ordinare (*c*).

Laici poterant à quocumque Episcopo ordinari.

§. IX. Sed quantum ad laicos, proprius ad eos ordinandos Episcopus præsertim erat, qui sacro fonte tinxerat. Carnalis patriæ semel relictæ, ubi quis alibi baptizatus fuerat, vix ulla ratio haberi poterat, quando in ordinationibus vita & mores post baptismum in examen veniebant. Spiritualis autem nativitas Ecclesiæ, quæ in Christo genuerat, baptizatum sociabat; & ita jure veluti proprio Episcopus, qui tinxerat, idoneus ad imponendas manus censebatur. Verum nexus in baptismo cum propria Ecclesia contractus tantus non erat, ut alibi tinctos cæteri Episcopi non possent usurpare, & in propria Ecclesia sibi ministros constituere, quando de eorum moribus constabat. Peregre baptizatos in alienis provinciis Illiberitani Canones vetant ordinari, *eo quod eorum* minime *sit cognita vita* (*d*). Ergo cognita peregrinorum vita ad eos in clerum primum cooptandos omnes Episcopi proprii erant, vigebatque species quædam præventionis, qua quisque Episcopus optimos quosque christianos occupabat, & in sua Ecclesia Clericos constituebat. Ita Origenes, Hieronymus, Paulinus, Augustinus aliique, quos Hallierius (*e*) recenset, nec in patria, nec in Ecclesia, quæ eos tinxerat, fuerunt ordinati. Constabat autem de moribus extraneorum aut diutina eorum in aliquibus Ecclesiis præsentia, aut fama, quæ de eorum moribus increbuerat, aut litteris formatis, quas laici à propriis Ecclesiis discedentes à suis Episcopis accipiebant. Ex omnibus antiquis Conciliis tantum Patres Concilii Carthaginensis I. statuerunt, non debere Episcopum *laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est* (*f*); verum iste Canon non diu viguit in Africa, siquidem in-

(*a*) Lib. 4. ep. XXX.
(*b*) Conc. Sardic. cit. Can. XV., Conc. Arelat. II. Can. XIII.
(*c*) Cod. Afr. Can. LV.
(*d*) Conc. Illib. Can. XXIV.
(*e*) De Sacr. elect. & ordin. part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 1. §. 4.
(*f*) Conc. Carth. I. Can. V.

inde Concilium Carthaginense III. antiquam restituit libertatem de laicis à quolibet Episcopo ordinandis (*a*). Quod vero in Concilio Carthaginensi I. Gratus Episcopus dixit, se meminisse etiam in Concilio Sardicensi cautum, ne Episcopi laicos alienos ordinarent, id quidem non congruit cum Canonibus Sardicensibus, qui *alienum ministrum* vetant usurpare (*b*), videturque memoria Gratum defecisse.

Proprius Episcopus in nova disciplina.

§. X. Per decem plus minus sæcula stetit disciplina, quæ Clericos ab Episcopo, qui primus clericatum imposuerat, ad altiorem gradum jubebat promoveri, laicos vero quocumque Episcopo ordinari permittebat. Sed inde mutati mores, Clericos extra propriam Ecclesiam permissum ordinari, nec amplius liberum fuit quoscunque laicos augere clericatu. Sæculo XI. invitis sacris Canonibus frequentiores factæ sunt ordinationes sine titulo, quæ deinceps admisso patrimonii titulo in usum abierunt assiduum. Inde abrupto nexu Ecclesias inter & Clericos innumerabilis emersit frequentia Clericorum inertium & vagantium, qui ab alienis Episcopis ad majores ordines curabant promoveri. Intermissus quoque fuit litterarum formatarum usus, passimque laici nullo testimonio de bene acta vita proprias relinquebant Ecclesias (*c*); Episcopi vero sine delectu tonsuram dabant, tantum ad Clericorum numerum augendum (*d*). Ita ad evitandam confusionem necesse fuit novas præscribere regulas de Episcopis, qui ordines & ipsam tonsuram conferrent, paulatimque proprius ad ordinandum Episcopus quadruplici titulo esse cœpit, *origine* nempe, *beneficio*, *domicilio*, *familiaritate*. Principio Episcopis Italis Clemens IV. interdixit (*e*), ne ultramontanos ordinarent Clericos sine litteris dimissoriis Episcopi originis, vel beneficii; sed inde Bonifacius VIII. generalem edidit constitutionem (*f*), qua proprius ad ordinandum Episcopus esse statuitur origine, beneficio & domicilio, longoque tandem usu familiaritas accessit. Episcopus originis est ille, in cujus parœcia ordinandus est natus; sic enim sonat origo apud Bonifacium, nam jure civili latior est originis significatio, locumque etiam paternæ nativitatis comprehendit (*g*). Nativitas vero, quæ originem dat, magis carnalis, quam spiritualis est, in quo præsentes distant ab antiquis moribus, qui pluris faciebant Ecclesiam, quæ in Christo genuerat. Episcopus beneficii est ille, in cujus diœcesi ordinandus habet beneficium, modo in fraudem declinandi proprii Episcopi collatum

(*a*) Conc. Carth. III. Can. XXI.
(*b*) Conc. Sardic. cap 15.
(*c*) Hallier. de Sac. elect. & ordin. part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 4.
(*d*) Fleuryus tom. 19. Hist. Eccles. in discurs. prælim.
(*e*) Cap. 1. de Tempor. ordinat. in 6.
(*f*) Cap. 3. eod. in 6.
(*g*) L. 6. §. 1. D. ad municipalem.

tum non fuerit, quod, ut refert Fagnanus, pluries declaravit sacra congregatio. Episcopus domicilii est, in cujus diœcesi domicilium constituit ordinandus. Ibi verò domicilium constitutum intelligitur, *ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus: si nihil avocet, unde quum profectus est, peregrinari videtur: quo si redit, peregrinari jam destitit,* ut rescripto suo explicant Imperatores (*a*). Unde ab animo potius & conjecturis, quam ab annorum numero positum æstimandum domicilium. Ex regulis juris civilis de fori ex causa domicilii competentia videtur Bonifacius statuisse, ut etiam Episcopus domicilii competens esset in causa ordinationis, præsertim quando in nova disciplina mores ordinandorum extra locum habitationis non facile innotescerent. Et demum Episcopus familiaritatis est, qui alienum subditum inter suos familiares habet.

Incommoda novæ disciplinæ.

§. XI. Nova hæc disciplina, qua quadruplici titulo censetur Episcopi ordinantis competentia, quamvis ad evitandam confusionem inducta sit, non tamen ordinem omnino restituit, nec incommoda abstulit omnia. Etenim origo, beneficium, domicilium, familiaritas simul concurrunt, non se invicem excludunt: atque ita unus idemque & laicus & Clericus potest eodem tempore à pluribus Episcopis ordinari, nec requiritur, ut ex uno titulo Episcopus ordinans ab aliis Episcopis itidem propriis consensum habeat. Inepti ergo ad ordines convolant, examen Episcopi, cui eorum vita cognita est, declinatur, cogunturque Episcopi in propria Ecclesia eos pati Clericos, quos nunquam ordinarunt. Ipse titulus beneficii, qui antiquæ congruit disciplinæ (siquidem beneficia natura sua adligant Ecclesiæ) in nova disciplina promovit confusionem, quando in pluribus diœcesibus facile potest unus plura obtinere beneficia. Auxerunt incommoda privilegia Pontificum Clericis sæcularibus vel regularibus concessa, ut à quocunque Episcopo ordines susciperent. Sensit Clerus Gallicanus, quæ ex multiplici proprii Episcopi titulo manabant incommoda, & hinc posthabito Bonifacii VIII. jure in Gallia potissimum origine Episcopus proprius ad ordines censetur.

Quî novo jure emendata.

§. XII. Jam Tridentini Patres hisce incommodis ex parte quæsiverunt medicinam. Revocarunt enim omnia privilegia, quæ ordines à quocunque Episcopo suscipi indulgebant, & unumquemque à proprio Episcopo statuerunt ordinari, suspenso, si secus factum

(*a*) L. *Cives* C. de Incolis.

tum fuerit, à collatione ordinum in annum ordinatore, ordinatis vero suspensis tandiu, quandiu proprio Episcopo videbitur (*a*). Porro ratione familiaritatis tantum veros, non titulares Episcopos ordinare posse decreverunt (*b*), idque tum demum quum integro triennio inter Episcopi familiares ordinandus fuerit, statimque eidem sine fraude Episcopus ordinans conferat beneficium (*c*). Successit Innocentii XII. decretalis *Speculatores*, quæ talibus regulis Episcoporum propriorum adstringit potestatem, quæ ordinem necessarium aliquatenus sustinent: statuit enim, originem, quæ ad ordinandum Episcopum proprium faciat, naturali nativitate, modo fortuita non sit, æstimari, quo casu vult originem patris attendendam; domicilium constitutum intelligi vel ad minimum decennii in aliquo loco mora, vel translatione majoris partis fortunarum in locum cum instructis ædibus & tali mora, quæ animum semper permanendi pandat, adito in utroque casu jurejurando ad perpetuam confirmandam habitationem; beneficium tanti redditus esse, quod secundum receptos mores per se ad ordinati sufficiat sustentationem, & beneficii, domicilii & familiaritatis jure Episcopum ordinantem habere Episcopi seu originis, seu domicilii, seu utriusque litteras testimoniales, quæ etiam requiruntur ab Episcopo fortuitæ nativitatis, si ibi ex longa mora impedimentum canonicum contrahi potuerit.

Proprius regularium Episcopus.

§. XIII. Et hæc quidem spectant Clericos & laicos; nam quantum ad Monachos, eorum proprius Episcopus ille est, in cujus diœcesi extat monasterium, ubi tanquam de familia commorantur, & ita ab eo ordines suscipere debent. Scilicet regulares per solemnem habitus clericalis susceptionem mundo moriuntur, & in sancta conversatione renati ex veteribus institutis domicilium ibi habere censebantur, ubi primum induerant monachismum; ex novis moribus in eo monasterio, in quo à suis superioribus destinantur ut ibi sint de familia. Infregerant hanc regulam olim multi regularium, qui privilegia, ut à quovis Episcopo ordines susciperent, à Sede Apostolica impetrarunt (*d*). Sed Tridentini Patres omnibus revocatis privilegiis unumquemque à proprio Episcopo voluerunt ordinari (*e*), tantumque jus antiquum admiserunt, ut Abbates regulares primam tonsuram & minores ordines suis subditis regularibus conferrent (*f*). Inde vero hoc jus variam habuit fortunam variis editis Pontificum decretalibus, quæ vel libertati re-

(*a*) Trident. sess. XXIII. de Ref. cap. 8.
(*b*) Trident. sess. XIV. de Ref. cap. 2.
(*c*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 9.
(*d*) Cap. 3. de Tempor. ordinat. in 6.
(*e*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 8.
(*f*) Trid. loc. cit. cap. 10.

regularium, vel ecclesiasticæ disciplinæ faverent. Sane Pius V. liberum fecit mendicantibus, ut à quocumque Episcopo Sedi Apostolicæ communicanti, sacros susciperent ordines (*a*): adeo nempe Pio cordi fuit libertas mendicantium. Sed Gregorius XIII. post ipsum Pium Pontifex creatus, ad juris terminos Pii revocata constitutione, Canonum Tridentinum recentavit (*b*). Successit declaratio sacræ Congregationis Concilii à Clemente VIII. probata, qua cavetur, ut superiores regulares subditos suos regulares pro recipiendis ordinibus tantum ad proprios diœcesanos præsentes & ordinationes habentes dimittant, ad quemlibet vero Episcopum iis absentibus, aut ordinationes non habentibus; modo ab ipso ordinatore quantum ad doctrinam examinentur, & ipsi superiores regularium consulto ordinationes suorum subditorum ad id tempus non distulerint, quo diœcesanus est abfuturus, vel nullas habiturus ordinationes. Sed satius fuisset stare regulis Tridentinis, quam exceptiones addere ad lites excitandas.

Qui dant litteras dimissorias *ad ordines.*

§. XIV. Jam si justa causa impedimento sit, quominus Episcopus proprius ordinationes habeat, potest suis subditis *litteras* dare *dimissorias*, quo ab alienis Episcopis ordinentur, & ordinati ad dimittentem revertantur: quo sensu nunc accipiuntur *litteræ dimissoriæ*, nam in veteri disciplina Episcopi datis dimissoriis omnino Clericos à se dimittebant, dimissique Clerici soluti propriæ Ecclesiæ vinculo, ad alias transibant Ecclesias (*c*). Tantum Episcopi, quorum est manuum impositio, primario ad ordines litteras concedunt dimissorias; quumque capitulum Sede vacante in Episcopi succedat potestatem, id etiam jus ad capitulum devolvitur, sed quatenus à Tridentinis, Patribus (*d*), & apud nos etiam pactis conventis limitatum est (*e*). Inferiores prælati, Abbates, superiores regulares aliique exempti præscriptione aut privilegiis suos Clericos, aut subditos ad quoscumque Episcopos pro suscipiendis ordinibus mittebant; at novo Tridentini jure moribus pridem receptis & privilegiis omnibus posthabitis, vetiti sunt Abbates & alii exempti & capitula Canonicorum etiam cathedralium litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere, eorumque omnium ordinatio ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, per omnia restituta est (*f*). Quicunque vero dimittuntur probari prius debent, vetanturque alieni Episcopi, quocunque fuerint donati privilegio, alienum subditum ordinare, nisi ejus pro-

(*a*) Bulla *Etsi mendicantium* XLI. in Bullar.
(*b*) Bulla *In tanta* IX. eod.
(*c*) Conc. Trullanum I. Can. XVII.
(*d*) Sess. VII de Ref. cap. 10.
(*e*) Concord. cap. 4. n. 9.
(*f*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 10.

probitas & mores ordinarii sui testimonio comprobentur (*a*). Quin Tridentini Patres videntur etiam velle, ut Episcopi manus imponentes ad se dimissos & probatos novo subjiciant examini (*b*), quod tamen ab arbitrio ordinantis pendere censuit sacra Congregatio (*c*). Semel vero concessæ dimissoriæ, nisi certo tempore includantur, eatenus durant, ut nec Episcopi morte, nec capituli finita potestate vim suam amittant (*d*), quamvis re integra, qui dedit, litteras datas recte revocabit (*e*).

Episcopi hæretici, schismatici &c. non recte ordinant.

§. XV. Qua demum cumque ratione Episcopus proprius censeatur, ut rite recteque ordines conferat, catholicæ fidei & communionis esse debet, nullaque ratione deminutam habere debet consecrandi potestatem. Ergo Episcopi hæretici, schismatici, simoniaci, excommunicati, degradati, intrusi, suspensi ordinationis mysteria vetantur celebrare. Et quî quæso Spiritum sanctum dare possunt, qui illum non habent, & divina præstare Sacramenta, *quorum manibus*, ut affirmat Leo M. (*f*), *se subtraxere mysteria*? Nec aliqua esse possunt divinæ vocationis signa, quando ab inimicis Christi & Ecclesiæ perturbatoribus, aut alias criminosis Episcopis Clerici consecrantur. Unde Damasus Papa *per illicitam manus impositionem vulnerari* ait *caput suscipientis* (*g*): item Gregorius M., *consecrationem nullo modo* dici posse edicit, *quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata* (*h*). Porro Episcopi, qui jam renunciarunt episcopatui, nec rite manus imponunt, modo & loco & dignitati renunciarint. Nempe distinguit Alexander III. (*i*) inter Episcopum, qui renunciavit tantum loco, forsan ob hostium incursionem & eum, qui dignitate episcopali se abdicavit. Et priori quidem casu non vetatur Episcopus ordinationes celebrare, si ab aliis Episcopis invitetur; altero vero casu minores ordines recte confert, non majores. Videntur Episcopi, qui renunciarunt dignitati episcopali chorepiscopis illis simillimi, qui ordinem habentes episcopalem, in gradu Presbyteri tantum ministrabant, quique pro jure suo in sibi concredita parœcia minores conferebant ordines. Eodem jure, quo Episcopi loco cedentes, censentur Episcopi, qui ad nudum Episcopi nomen ordinantur, nam nec subditos, nec Ecclesiam habent, tantumque de licentia ordinariorum manus recte imponunt. Interim si contra Canones hæretici, schismatici, & reliqui mox memorati Episco-

(*a*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 8.
(*b*) Trid. sess. VII. de Ref. cap. 11.
(*c*) Ap. Fagnan. in cap. *Cum secundum* ext. de Præbend.
(*d*) Rebuf. in Praxi benef.
(*e*) Barbosa de Off. episc. part. 2. allegat. 7. n. 25.
(*f*) Epist. LXXIII.
(*g*) Can. III. c. 9. q. 1.
(*h*) Can. I. eod.
(*i*) Cap. I. ext. de Ordin. ab Episc. qui renunciavit episc.

copi ordinationes celebraverint, per hujusce manuum impositionem semper caput ordinatorum vulneratum censetur, sive scientes prudentes, sive per ignorantiam ab iis ordinari passi sunt. Etenim defectus ordinationis non tam ab ipsis ordinatis, quam ab ordinatoribus, qui Spiritum sanctum non habent, derivatur. Tantum proficit ignorantia ad facilius veniam obtinendam, ut ordinem susceptorum executione utantur, & ad majores adscendant (*a*).

Soli mares, non feminæ ordines suscipiunt.

§. XVI. Venio nunc ad ordinationis subjectum. Soli mares canonicis donati qualitatibus ordinis capaces sunt, non item feminæ: quod naturæ potius præceptis, quam ecclesiasticis regulis inductum. Sane mulieres ad subjectionem à Deo factæ sunt, Sacerdos vero caput populi est: & nativo quodam pudore à docendo aliisque publicis functionibus, quales sunt sacerdotales, retardantur, adeo ut turpe duxerit Apostolus, mulierem in Ecclesia loqui (*b*). Recte igitur auctori apostolicarum constitutionum observatum, praxim ethnicam esse creare Sacerdotes feminas (*c*). Notissimæ apud Romanos sunt Vestales, virgines nempe Sacerdotes cultui deæ Vestæ addictæ, & matronæ Bonæ deæ sacerdotio donatæ. Cereri Eleusinæ apud Græcos mulieres sacrificabant: refertque Tacitus (*d*) apud Gallos & Germanos frequentes fuisse feminas Sacerdotes. Gentes imitati sunt quidam hæretici, Pepuziani nempe & Collyridiani, quorum illi Episcopos & Presbyteros feminas habebant; isti vero opera feminarum Mariæ Virgini sacrificabant, ut narrat Epiphanius (*e*), qui ad eos refellendos observat (*f*), nullam feminam ab orbe condito ad offerendum sacrificium, aut aliquod aliud sacrum ministerium in Ecclesia fuisse ordinatam, & nulli magis quam Mariæ Virgini, quæ ipsum Christum sinu excepit suo, sacerdotium demandari debuisse, si feminæ ad functiones ordinum admitti possent. Nominantur quidem in Canonibus *Episcopæ* & *Presbyteræ*, at non ab ullo ordine, aut ecclesiastico ministerio; sed à viris suis, qui ad episcopatum & presbyteratum promoti sunt. Et diaconissæ, quamvis per manuum impositionem adsumptæ, non tamen ad sacerdotii functionem, sed ad muliebris sexus honestatem pro officiis, quæ minus recte & decenter à Clericis explicabantur, fuerunt institutæ, quod idem Epiphanius diserte docet (*g*).

Or-

(*a*) Cap. 1. & 2. ext. eod.
(*b*) 1. ad Cor. XIV. 34.
(*c*) Const. apost. lib. 3. cap. 9.
(*d*) De moribus Germanorum.
(*e*) Hær. 69. & 78.
(*f*) Hær. 79.
(*g*) Cit. hær. 79.

Ordinandi debent esse baptizati & confirmati.

§. XVII. Præter cæteras canonicas qualitates ordinandi debent esse baptizati & confirmati. Et quantum ad baptismum tantæ est in ordinandis necessitatis, ut, nisi eo in aqua prius suscepto, invalida ordinatio censeatur, quod olim in Paulinianistis viderunt Nicæni Patres (*a*), & inde statuit Concilium Compendiense (*b*), tutius habuit Innocentius III. (*c*), & passim inde communi theologorum consensu certum reputatum fuit. Sane per baptismum aditus patet in Ecclesiam, & pro monstro est, ut altari ministret, qui extra Ecclesiam reperitur. Porro ordinandi debent esse confirmati. Sacri quidem ordines perfectos tantum christianos admittunt, & nemo sine confirmatione perfectus christianus censetur, hactenus ut, observante Albaspinæo, nemo *christiani* nomen olim sortiretur, nisi dono Spiritus sancti confirmatus & donatus esset (*d*). Inter cætera, quæ Novatiani ordinationi Cornelius objecit, id fuit, quod liberatus morbo, reliqua secundum regulam ecclesiasticam non percepit, *neque ab Episcopo consignatus est* (*e*). Et hinc recte statuit Tridentina Synodus, ut nemo prima tonsura initietur, qui ante confirmationem non susceperit (*f*). Non tamen ejusdem cum baptismo necessitatis est in ordinandis confirmatio, nam conveniunt doctores, male quidem agere, qui posthabita confirmatione ad ordines festinant, at non propterea irritari ordinationem (*g*).

Divina vocatio ad sacerdotium necessaria.

§. XVIII. Jam vero non quicunque Canonicis donatus qualitatibus recte ad sacrum festinat ministerium, sed necessaria omnino est divina vocatio, quæ occupet & præveniat. Christus ipse non à se venit, sed à Patre suo missus (*h*): ipse ad sacerdotium Apostolos vocavit (*i*): Apostoli signa divinæ voluntatis implorarunt, substituentes, qui Judæ locum impleret (*k*): omnique tempore Ecclesia necessitatem divinæ vocationis ad sacerdotium agnovit. Sane sacerdotium status est cælestis, qui homines veluti angelis exæquat, tribuitque gratiæ auxilia tanto muneri consentanea; ac proinde divina præveniente vocatione ad sacros ordines accedendum. Vocat autem Deus ad clericatum vel peculiaribus disertisque signis, quemadmodum Apostoli aliique apostolici viri vocati sunt, vel signis re-

(*a*) Conc. Nicæn. Can. XIX.
(*b*) Conc. apud Compend. Can. XV.
(*c*) Cap. 3. ext. de Presbytero non baptiz.
(*d*) Albaspin. lib. 1. Obs. cap. 25.
(*e*) Ap. Euseb. lib. 6. cap. 43.
(*f*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 4.
(*g*) Hallier. de Sac. elect. & ordin. part. 2. sect. IV. cap. 3. art. 1.
(*h*) Joann. VII. 16.
(*i*) Marc. III. 13.
(*k*) Act. I. 24. & seq.

rebus ipsis intextis, quæ arguunt divinam voluntatem, qualia sunt conscientiæ puritas, animus lenis, alienatio à rebus terrenis, rectitudo intentionis ad serviendum Deo, salutemque proximi procurandam, oblectatio in lectione Scripturarum, inculpatus ad ordines sacros ingressus, aliaque id generis signa. Scilicet variis inditis inclinationibus Deus ad varia munera homines effingit. Quo vero signa hæc rebus ipsis intexta, quibus inde à multis sæculis fere censentur divinæ vocationes, evadant expressiora, assidua & ferventi oratione, aliorum orationibus sociata, Deus, qui ex corde invocatus in necessariis non deest, exorandus, ut quales nos esse jussit, manifestet. Quod si quis divina vocatione non præventus, sed potius spe lucri, ambitione aliisque mundanis affectibus in sacrum irrepsit ministerium, non per ostium in ovile Christi intravit, intrusus est, sacrorumque ministeriorum invasor nefarius. *Nulla ratio sinit*, inquit Leo M. (*a*), *ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum metropolitani judicio consecrati.* Interim assiduis orationibus, bonis operibus ac pertinaci studio connitendum intrusis, ut divina vocatio saltem subsequatur, & si non plantati in domo Domini, apte tamen translati videantur.

Filii oblati à parentibus ad clericatum.

§. XIX. Sæpe autem parentes divinam præveniebant, & vero etiam præveniunt vocationem, liberosque suos infantes offerebant clericatui, eosque curant detonderi. Antiquis moribus infantes ad clericatum oblati, vel detondebantur, vel lectores creabantur, si eorum ætas sustineret, & interim in domo Ecclesiæ sub præposito disciplinæ erudiebantur, quo in statu usque ad annum decimum octavum persistebant, eoque anno si spondere continentiam, quam connubio illigari, mallent, biennio adhuc probabantur, & tum demum Hypodiaconi, quinquennio post Diaconi ordinabantur, alias in lectoratu permanebant, quæ omnia ex Concilio Toletano II. (*b*) constant. Præpostera non videntur fuisse pia hæc parentum vota; nam non spe lucri aliisve humanis affectionibus filios suos ordinibus offerebant, sed potius ex pia voluntate, qua filiis bene consultum volebant (*c*). Etenim clericatus status perfectionis censebatur; ac proinde tantumdem erat filios offerre clericatui, quam eos in salutis portum devehere. Utinam vero semper ex tali voto parentes filios obtulissent clericatui, nam divina vocatione non subsequente, initium saltem non erat improbandum. Verum sæpe parentes clericatum filiis quæsiverunt, & vero etiam quærunt, & sæpe tantum non adigunt, ut sæculi simul & Ecclesiæ opibus honoribusque gaudeant, & ut hereditas in pauciores filios facta copiosior affluat: constatque mediis sæculis parvulis, aut forsitan nondum natis ecclesiastica beneficia providam parentum parasse sollicitudinem (*a*). Hæc fuisse multorum parentum vota sæculo XII. B. Bernardus testatur, qui eos ita loquentes inducit (*b*): *Hunc* filium *nos illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui forte servimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hereditas.* Non à Deo, sed à diabolo processit ista vocatio, & utinam tenerent parentes, se non posse tam male filiis consulere, quam quum ex mundanis finibus iis parant clericatum.

(*a*) Epist. LXX. ad Rustic. Narbon.
(*b*) Concil. Tolet. II. Can. I.
(*c*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 23. & seq.

Vocatio ad clericatum ab infortuniis.

§. XX. Species etiam parum recta vocationis videtur illa, qua in veteri disciplina multi variis infortuniis & vitæ tempestatibus acti, ad mortem evitandam clericatu initiabantur. Scilicet sæpe viri Principes potentia victorum oppressi, ad evitandas suspiciones de rebus novis moliendis, ad clericatum confugiebant, aut ipsi victores eos offerebant clericatui: qua oblatione & eorum vitæ parcebant, & potentiam constabiliebant suam. Etenim clericatus in veteri disciplina perpetuum obligabat, vetabanturque semel Deo devoti Clerici iterum redire ad sæcularem, vel militarem dignitatem (*c*). Cœpit nova ista ab infortuniis ad clericatum vocatio quarto sæculo, quæ deinceps continuata plures in utraque Ecclesia peperit Clericos (*d*). Non omnino sponte, nec propter Deum, qui mortis evitandæ causa in Clericos attondebantur, ad clericatum confugiebant; at interim eos Episcopi non repellebant, quin potius excipiebant, & in Clericos attondebant, & majoribus initiabant ordinibus. Videbatur impietas quædam repellere ab ordinibus, qui soli poterant eos à morte liberare: nec officio episcopali deprecandi pro reis apud civiles magistratus conveniebat cum effusione sanguinis virorum nobilium principibus resistere, præsertim quum Deus ex arcanis providentiæ suæ rationibus imperviis viis homines ad se convertat. Et Canones, qui criminosos à Canone repellunt, non semper talibus ordinatis erant impedimento, qui subinde potius pœnas dabant infelicioris pugnæ, quam culpæ gravioris, ut exemplo esse possunt tres filii Regis Clodomiri, qui adhuc pueri à patruis capti, vel ad mortem, vel ad clericatum fuere addicti, aviæque Clotildi ea de re optio tributa est (*e*). Sæpe vero clericatui addebatur monastica vita; quod plerumque cum iis factum videtur, qui gravioris culpæ rei erant, ut ita de criminibus perpetuam agerent pœnitentiam. Interim irrevo-

(*a*) S. Bernard. epist. XLII.
(*b*) Cit. epist.
(*c*) Conc. Chalc. Can. VII.
(*d*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 27. & seq.
(*e*) Greg. Turon. lib. 3. cap. 28.

vocabilis erat clericatus, quod contra eos Concilium VIII. Toletanum statuit (*a*), qui rebus prosperis inde usi ad sæcularem vitam redire tentabant, eo prætextu quod coacti ordines susceperant. *Licet inviti perceperint, quod merebantur habere, libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo per terrenæ consecuti sunt necessitatis eventum.*

CAPUT XXIV.

De sacrorum ordinationum ritibus earumque effectibus.

Jurati Clerici canonicam promittebant obedientiam.

§. I. Multa sunt solemnia, quibus ordinationes celebrantur, quorum alia sunt juris divini, alia Ecclesiæ accesserunt auctoritate, quo augustior esset sacrorum ministrorum inauguratio. Minutus non ero, nec esse possum in his solemnibus enarrandis, sed ea tantum proponam, quæ ad ecclesiasticam disciplinam videntur necessaria. In primis Clerici omnes & præsertim Episcopi, ante ordinationem fidei edebant professionem, & Canonum promittebant observantiam. Ipsa clericatus acceptio rectæ fidei professionem & Canonum tacitam involvebat observantiam; *at quia solet plus timeri, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur*, ut Patres Concilii Toletani XI. loquuntur (*b*), specialem & fidei custodiam & Canonum observantiam à Clericis promitti non minus sacri Canones (*c*), quam leges civiles (*d*) decreverunt. In primis vero fidei professio invaluit postquam tot errores in christiana doctrina pullularunt, ut ita de ministrorum fide Ecclesiæ constaret. Etiam ipsi Romani Pontifices fidei faciebant professionem (*e*), & paternarum traditionum promittebant observantiam (*f*). Quin recens creati Episcopi ad extraneos Episcopos litteras mittebant, quibus fidem & orthodoxiam testabantur suam, quæ litteræ *enthronisticæ*, *communicatoriæ* & *synodales* dicebantur (*g*). Utraque hæc promissio fere scripto propria subscriptione notato fiebat (*h*), & scriptura in scriniis Ecclesiæ adservabatur. Auctis Canonibus in Ecclesia Græca invaluit professio obedientiæ septem generalium Conciliorum Canonibus præstandæ, in Ecclesia vero Romana professio observantiæ

(*a*) Conc. Tolet. VIII. Can. VII.
(*b*) Can. VI. D. 23.
(*c*) Cit. Can. VI
(*d*) Novel. I. cap 8.
(*e*) Joan. Diaconus vit. Greg. M.
(*f*) Ivo Carnoteus. epist. LX.
(*g*) Bingh. lib. 1. Orig. Eccles. cap 11.
(*h*) Nov. CXXXVII. cap. 2. Can. VI. D. 23.

tiæ octo Conciliorum generalium, quarum formularum primam Habertus (*a*), alteram exhibet Baronius (*b*). Promissio servandorum Canonum tacitam continebat adversus Episcopos & metropolitas, qui ordinabant, obedientiam; at inde circa sæculum septimum invaluit aperta adversus consecrantem Episcopum *canonicæ obedientiæ* promissio, quæ itidem scripto facta, non aliud continebat, quam quod alias Clerici Episcopis, & Episcopi metropolitis secundum Canones præstare debebant. Simplici vero promissione non jurati rectam fidem & canonicam obedientiam etiam erga consecrantem Episcopi & reliqui Clerici promittebant; quod ex antiqua descendit disciplina, quæ christianos omnes, multo minus altaris ministros, jurare non patiebatur, fuitque etiam apud gentes philosophorum prærogativa, ut simplex eorum assertio juramenti loco esset (*c*). Nempe lapsæ fidei indicia sunt juramenta, & viri boni non minus se obligatos nuda promissione, quam juramentis sentiunt. Sed tandem lapsa ecclesiastica disciplina octavo sæculo cœperunt Clerici jurati fidem & obedientiam profiteri: & quamvis interim Canones antiquam sustinerent disciplinam (*d*); assiduis tamen moribus in usum sacramenta religionis abierunt, passimque sæculo XI. Clerici jurejurando fidem integram & canonicam obedientiam promittebant.

Juramentum fidelitatis à Clericis exhibitum.

§. II. Verum tempore addito canonica obedientia consecratoribus promissa degeneravit in fidelitatem ei non absimilem, quam vasalli in feudorum investitura dominis promittebant suis: atque ita circa sæculum XI. nova jurandi formula invaluit, quæ cum adversus Canones obedientia fidelitatem contineret. In Ecclesia Romana primus Gregorius VII. ab Archiepiscopo Aquilejensi juratam exegit fidelitatem. Nova hæc jurandi formula prout à Gregorio proposita est, septem complectitur capita, quorum tria priora fidelitatem, reliqua quatuor canonicam spectant obedientiam (*e*). Capita fidelitatis desumpta sunt ex libris feudorum (*f*), jurabantque in iis Episcopi, ne quid unquam in Pontificum vitam, honorem & libertatem machinentur, neve sibi detectum consilium in eorum damnum alicui pandant. Capita vero canonicæ obedientiæ non generalem continent promissionem Canonum servandorum, sed potiora quædam puncta, quæ tum diserte promitti Romanæ Ecclesiæ intererat; continent nempe papatus & *regaliorum*, hoc est patrimonii B. Petri defensionem, ad Synodum profectionem, honorem

(*a*) In Archierat.
(*b*) Ad an. DCCCLXIX.
(*c*) Gonzalez ad cap. ult. ext. de Juram. calum.
(*d*) Conc. Cabil. II. Can. XIII.
(*e*) Cap. 4. ext. de Jurejurand.
(*f*) Lib. 2. Feudor. tit. 5. & seq.

rem legatis Romanis exhibendum & iter Romanum. Sic concepta jurandi formula nova & ab ingenio episcopatus abhorrens visa est (*a*) : nec bene convenit cum VIII. Synodi generalis Canonibus , qui ad tutelam & defensionem personæ consecrantis omnes vetant promissiones (*b*). Videntur Pontifices in illa temporum calamitate , qua ob damnatas investituras Reges habebant infestos , & ob damnatam simoniam & Clericorum incontinentiam multos Episcopos experiebantur contumaces , propriamque vitam insidiis videbant obnoxiam , necessariam duxisse fidelitatis promissionem. Quidquid vero hujus rei sit , Pontifices primum à metropolitis in palliorum petitione , & inde ab Episcopis sedi Romanæ ἀμέσως subjectis exigere cœperunt fidelitatem ; restiteruntque initio metropolitæ , sed tantum onus subierunt. Cæteri Clerici Episcopis , vel præpositis suis , Episcopi vero metropolitis juratam promittebant fidelitatem (*c*) , & ita Clerici *homines ligii* suis fiebant Episcopis. Sed inde collationibus episcopatuum generatim ad Pontificem devolutis, uni tantum Pontifici obedientiam & fidelitatem Episcopi jurarunt, quod adnotante Espenio , metropolitarum in suffraganeos imminuit auctoritatem (*d*). Moribus præsentibus jampridem inductis inferiores Clerici non amplius promittunt fidelitatem , tantumque de ea Episcopi , sed formula multis capitibus à Clemente VIII. aucta, præstant juramentum : quæ omnia capita , ne consulto perjuriis se innecterent Episcopi , sic jurata intelligi docent cordati viri , quatenus eorum observantiam mores provinciarum admittunt (*e*). Tantum secundum præsentem disciplinam Presbyteri post ordinationem promittunt Episcopo canonicam obedientiam , & beneficiarii curam animarum habentes orthodoxæ fidei suæ publicam saltem intra duos menses à die possessionis edunt professionem , & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondent & jurant (*f*).

Materia sacrorum ordinum.

§. III. Jam ordinatio , utpote Sacramentum , rebus & verbis , seu, ut recentiores theologi dicunt , *materia* & *forma* , tanquam elementis , constat. Et res quidem , seu signum externum , quo conferuntur ordines majores , ex apostolica institutione est manuum impositio. Sane Apostoli impositis manibus crearunt Diaconos (*g*) , & Paulus Timotheum admonens , ne temere in sacrum ministerium quenquam cooptaret , dixit , *cito manus nemini imposueris* (*h*) : quibus verbis

(*a*) Cap. 4. ext. de Elect.
(*b*) Conc. VIII. Can VIII.
(*c*) Cap. 13. ext. de Major. & obedient.
(*d*) Espen. part. 1. tit. 19 cap. 2. n. 9.
(*e*) Florens ad tit. de Conces. pallii , Espen. part. 1. tit. 15. cap. 2. n. 25.
(*f*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 12.
(*g*) Act. VI.
(*h*) 1. ad Timoth. V. 22.

bis diserte indicatur per manuum impositionem creari Ecclesiæ ministros. Patres quoque quum de ordinatione Episcoporum , Presbyterorum & Diaconorum loquuntur , id manibus impositis semper factum adserunt. Et libri rituales Græci & Latini cujusque ætatis pro conferendis majoribus ordinibus semper præscribunt manuum impositionem. A Judæis ritum imponendarum manuum & in creandis Ecclesiæ ministris & in multis aliis occasionibus Apostoli desumpserunt , quod viri docti passim observant (*a*). Sane solemnis est & pervetustus apud Judæos ritus imponendarum manuum in benedictionibus impartiendis (*b*) : quin Moses divinas virtutes , quibus ipse præditus erat , manibus extensis communicabat (*c*) : quo efficacissimæ benedictionis exemplo deinceps Judæi in creandis Presbyteris manuum adhibuerunt impositionem. Ergo in creando Episcopo consecrator & assistens super collum & humeros electi apertum Evangeliorum codicem expandunt , & inde ejus capiti ambas manus imponunt. Antiquus est in utraque Ecclesia ritus expandendi super humeros Evangelii (*d*), significatque , Episcopum etsi reliquorum Christianorum caput , esse tamen sub potestate constitutum , ut Chrysostomus interpretatur (*e*). Similiter in ordinatione Presbyteri Episcopus simul cum præsentibus Presbyteris , in ordinatione Diaconi solus Episcopus manus imponit. Et quamvis inde etiam solus Episcopus Presbyteris manus imponat , eisque Spiritum sanctum ad peccata dimittenda elargiatur ; tamen recentioris est ævi posterior hæc manuum impositio (*f*), tantumque , quæ fit à presbyterio , ab Apostolis descendit.

Forma ordinationis.

§. IV. Manuum impositionem comitantur verba consecrationis, quæ generalem imponendarum manuum ritum ad actum peculiarem determinant , indicantque propriam cujusque ordinis potestatem. Ita singuli ordines formulas habent proprias. Usitata ordinandi verba Hieronymus *vocis imprecationem* (*g*) , alii vero Patres & Canones sæpe dicunt *benedictionem* (*h*). Erant vero hujusmodi ordinationum formulæ omnes deprecativæ , quibus invocabatur Deus , ut spiritum gratiæ suæ infunderet , potestatemque daret ad injuncta obeunda ministeria. Certe Apostoli jejunantes & orantes Diaconos crearunt : antiqui Patres semper per preces factas describunt ordinationes : benedictiones verbis deprecativis concipiebantur : extatque adhuc

(*a*) Bevereg. in Can. I. Apostol.
(*b*) Gen. XLVIII. 13. & seq.
(*c*) Num. XI. 24. & seq. Deuter. XXXIII. 9.
(*d*) Conc. Carthag IV. Can. II. ap. Grat. Can. VII. D. 23. Morin. de SS. ordinat. part. 3. exercit. 2. cap. 1.
(*e*) De laudib. evang.
(*f*) Morin part. 3 exercit. 7. cap. 2.
(*g*) Lib. XVI. in Jesai. cap. 58.
(*h*) Conc. Carthag. IV. Can. II. & seq.

huc in constitutionibus vulgo dictis apostolicis deprecativa creandi Episcopos & Presbyteros formula (*a*). At temporis lapsu apud Latinos in creandis Sacerdotibus non desierunt quidem preces adhiberi, sed formulæ, quæ ipsas manuum impositiones comitantur, fere evaserunt indicativæ, quibus non invocatur Deus, ut Spiritum sanctum effundat, sed potius dari significatur, veluti in consecrandis Episcopis consecrator dicit: *Accipe Spiritum sanctum &c.* Post sæculum XII. cœperunt Latini formulas indicativas in imponendis manibus usurpare, quod ex silentio ritualium & scholasticorum usque ad B. Thomam Morinus observat (*b*): Græci vero & Syri eas nec modo adhibent, nec unquam adhibuerunt. Qui primi formulas indicativas excogitarunt, videntur exprimere voluisse Christi verba, qui Apostolis sacram communicans potestatem similibus conceptionibus usus est. Quidquid vero hujus rei sit, Morinus, N. Alexander (*c*) aliique recte adfirmant, essentiales ordinationum formulas etiam in nova disciplina esse preces, quæ impositioni manuum respondent, formulas vero indicativas esse loco formarum partialium, quæ usu accesserunt ad formulas necessarias. Et quî quæso ad ordinationis intimam constitutionem pertinere possunt formulæ, quas antiquitas ignoravit, nec hodie in universa obtinent Ecclesia?

Unctio Episcoporum & Presbyterorum.

§. V. Communis est in creandis Episcopis, Presbyteris & Diaconis manuum impositio; at apud Latinos præterea Episcopi caput & manus chrismate, manus vero Presbyterorum oleo cathecumenorum precibus adhibitis junguntur. Solemnis apud Judæos & Gentiles in sacris olei usus fuit, quo in sacrificiis & extra sacrificia utebantur, & ita quidquid Deo, diisve dicabant, oleo adspergebant (*d*). Unde Sacerdotes, qui Deo consecrabantur, oleo inungebant Judæi, quod disertis verbis Deus præcipit (*e*). Quin etiam Reges apud Judæos uncti sunt oleo, ut ita tanquam Deo sacri, sancti redderentur (*f*). Sed in eo à Judæis distabant Gentiles, quod illi indifferenti ritu in rem sanctam usi sunt, isti vero unctionibus suis in stupidam proruerunt superstitionem, siquidem res omnes, quas ungebant, adorabant, quod olei adspersione aliquid divinitatis in res ipsas somniabant derivari. Quam ineptam opinionem nedum christiani scriptores Arnobius (*g*) & Augustinus (*h*), verum

(*a*) Const. apost. lib. 8. cap. 5. & 16.
(*b*) De SS. ordin. part. 3. exercit. 2. cap. 2. & exercit. 7. cap. 2.
(*c*) Nat. Alexander Theolog. dogm. & moralis lib 2. de Sacr. ordin. cap. 1 art. 6.
(*d*) Spencer. de LL. Hebr. ritual. diss. III. de Purif. & lustr. Hebr. Joan. Cleric. not. ad Judic. IX. 9.
(*e*) Exod. XXIX. 7. Levit. VIII. 12.
(*f*) 1. Reg. X. 1., 3 Reg. I. 39.
(*g*) Lib. 1. advers. gent.
(*h*) Lib. 1. de Civitate Dei cap. 38.

rum etiam Lucianus (*a*) salse rident. Hoc gentilis superstitionis caput Reynerus Verwey pluribus & egregie illustrat in opere *de unctionibus gentilium*. Interim quamvis multos Judæorum ritus christiana adoptarit Ecclesia, non tamen in consecrandis ministris suis initio oleum adhibuit. Certe Ambrosius & Augustinus, & Canones Concilii quarti Carthaginensis, qui ritus ordinationis enarrant, nullam olei injiciunt mentionem. Forte in consecrandis Sacerdotibus Ecclesia ab initio oleum non adhibuit, quod jam christianos omnes ungebat in baptismo, qua unctione late dictum consequebantur sacerdotium. Sane Tertullianus (*b*) in baptismo oleo inungi christianos testatur: *De pristina disciplina*, hoc est Judaica, *qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant*. Sed inde Latina Ecclesia etiam ungendi ritum in creandis Episcopis & Presbyteris recepit, quem tamen ad hæc usque tempora Græci non adhibent. Derivat quidem Innocentius III. auctoritate decretalis Anacleti Papæ (*c*) olei usum in consecrandis ministris ab apostolica traditione, atque ita contra Græcos Ecclesiam Latinam non *judaizare* contendit (*d*); sed sublesto innititur fundamento, siquidem hodie in compertis est, sub nomine Anacleti vulgatam Decretalem ex officina Mercatoris prodiisse. Atque hinc constat, unde factum, ut apud mediæ ætatis scriptores multi ritus tanquam ab Apostolis deriventur, qui tamen longo post tempore invaluerunt. Nempe quidquid legebant in falsis Decretalibus, bona fide apostolicum esse credebant.

Traditio instrumentorum & verba comitantia.

§. VI. Solemnis quoque est in consecrandis Ecclesiæ ministris traditio instrumentorum, quæ potestati cujusque ordinis propriæ respondent, tradensque ea instrumenta Episcopus formulam propriam pronunciat. Ut ecce Episcopo præter baculum traditur liber Evangeliorum, qui pridem ejus cervici impositus erat, eumque tradens Episcopus potestatem prædicandi facere videtur. Presbytero traditur patena cum pane & calix cum vino sub formula: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Diacono traditur Evangelium sub formula: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam defunctis in nomine Domini*: & ita porro reliquis omnibus Clericis traduntur convenientia instrumenta, quæ propriæ verborum conceptiones comitantur. Instrumentorum istæ traditiones eisque respondentes formulæ apostolicæ non sunt institutionis. Certe eas adhuc Græci ignorant, & apud Latinos per novem circiter sæcula in creandis Presbyteris & Diaconis nulla adhibita fuerunt instrumenta, institutique quoque recentioris est Evangelii traditio Episcopo facta. Et vero ob-

(*a*) Alexand. Pseudom.
(*b*) De Bapt. cap 7.
(*c*) Can. 1 D. 75.
(*d*) Cap. un. ext. de Sacra unctione.

observante Morino (*a*) de his traditionibus respondentibusque formulis tacent ante sæculum X. scriptores Latini omnes & rituales libri, qui adeo minuti sunt in ritibus enarrandis, ut nec genuflexiones omittant. Id autem verum est à sua pene institutione minores ordines traditis instrumentis fuisse collatos. Canones enim Concilii Carthaginensis IV. eorum ordinationes per traditionem instrumentorum describunt (*b*), ejusque rei dum de Hypodiaconis agunt hanc tradunt rationem, *quia manus impositionem non accipiunt*, quasi dicerent, quum in iis ordinandis nulla adhibeatur manuum impositio, par est, ut eorum ordinatio aliquo externo signo celebretur ad collatam indicandam potestatem. Cæterum quo primum tempore inducta fuerunt instrumenta in creandis Presbyteris & Diaconis post ordinationem tradita videntur, ut intelligerent quam accepissent potestatem, quod Hugo à S. Victore (*c*) & Petrus Lombardus (*d*) non obscure testantur.

Pertinent ad materiæ & formæ integritatem.

§. VII. Instrumentorum in creandis Clericis majoribus in Ecclesia Latina novitas, & in Græca etiam hodie nullus usus, manifeste demonstrant, eorum traditiones cum adjectis formulis ad intimam ordinationis non pertinere constitutionem. Quæ ad naturam rei pertinent, ei semper insunt, iisque ablatis ipsa res perit. At contra statuere videtur Eugenius IV. in decreto, ubi ordinationis materiam dicit instrumentum, *per cujus traditionem confertur ordo*, & formam facit verba traditioni respondentia. Locus hic Eugenii amplissimam disputandi materiam Theologis suppeditavit. Sed id maxime probabile videtur, non eam fuisse Pontificis mentem *essentiales* ordinationis materias & formas decreto suo Armenos edocere, quos illæ certe non latebant, sed ritus peculiares, quos Ecclesia Romana manuum addiderat impositioni. Etenim si proprium ordinationis ritum edocere voluisset, dubio procul manuum non omisisset impositionem, qua inde usque ab Apostolis per universam Ecclesiam ordines dabantur. Interim assiduo Ecclesiæ Latinæ usu videntur instrumenta eorumque formulæ ad materiæ & formæ pertinere integritatem, quod Theologi passim docent. Integrum scilicet Ecclesiæ Dei semper fuit aliquas Sacramentis apponere conditiones, sine quibus non valeant. Nihil ergo tutius quam in conferendis ordinibus proprium cujusque Ecclesiæ ritum servare, recteque docet Innocentius IV. ordines posse sola manuum impositione conferri, nisi Ecclesia apostolico ritui peculiares formas addidisset (*e*).

Or-

(*a*) De SS. ordin. part. 3. exercit. 2. 7. & 9.
(*b*) Conc. Carthag. IV. Can. V. & seq.
(*c*) Lib. 2. de Sacram. fidei part. 3. cap. 12.
(*d*) Lib. 4. Sentent. D. 24.
(*e*) In cap. *Presbyter* ext. de Sacrament. non iterandis.

Ordinationes habentur in Ecclesia.

§. VIII. Locus autem legitimus habendarum ordinationum ex antiqua disciplina est Ecclesia. Unde Maximo Cynico in Ecclesiam Constantinopolitanam intruso, exprobratum, quod Ecclesia exclusus, in sordida cujusdam aulœdi domo fuerit ordinatus (*a*) : vitioque etiam datum Ursicino, qui cum Damaso ad Sedem Romanam concurrebat, quod non in Ecclesia, sed in obscuro quodam Basilicæ loco, *Sicina* dicto, consecrationem acceperit (*b*). Ecclesia vero, in qua Episcopi consecrabantur, erat ipsa Ecclesia vidua, in quam ad Episcopi constitutionem Episcopi provinciæ conveniebant, cæteri vero inferiores Clerici in Ecclesia cathedrali præsertim consecrati sunt (*c*). Sed inde electionibus ab ordinationibus distractis, procul ab Ecclesia vidua cœperunt Episcopi consecrari, in Ecclesia nempe, quam dicebat metropolita : & secundum præsentem disciplinam Itali passim Romæ consecrantur. Et quantum ad inferiores Clericos, jubent Tridentini Patres, ut ordinationes sacrorum ordinum in Ecclesia cathedrali, vocatis præsentibusque Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur ; & si in alio diœcesis loco eas haberi contingat, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia seligatur (*d*). Interim tonsura & minores ordines etiam extra Ecclesiam receptis moribus, quibus favet pontificale Romanum, conferri possunt. Peracta vero in Ecclesia vidua consecratione, Episcopus solemniter deducebatur ad cathedram episcopalem, in qua constitutus, de more lecta scriptura, primum habebat sermonem, qui *enthronisticus* dicebatur (*e*). Similiter Presbyteri statim ac ordinati essent, sedebant in presbyterio (*f*). Quin apud Græcos, ubi Presbyteros concionari erat usitatius, etiam in die ordinationis Presbyteri concionabantur, extantque adhuc in operibus Chrysostomi & Gregorii Nysseni sermones, quos die suæ consecrationis in Presbyteros ad populum habuerunt.

Tempore sacræ liturgiæ.

§. IX. Nec tantum in Ecclesia, verum etiam in publico Dei cultu, tempore sacræ liturgiæ, ex antiqua disciplina ordinationes celebrantur. Ordinationem Pauliniani repræsentans Epiphanius (*g*), se eum ordinasse Presbyterum dicit, *quum ministraret in sanctis sacrificiis*. Et Theodoretus (*h*) ordinationem Macedonii anachoretæ sacræ synaxis tempore factam scribit. Ejus autem disciplinæ ratio fuit, ut ordinati consecrarent, vel sacram perciperent eucharistiam. Peractum

(*a*) Nazianz. Carm. de vit.
(*b*) Socrat. lib. 4. cap. 29.
(*c*) Hallier. de Sacr. elect. & ordin. part. 3. sect. 6. cap. 2. art. 1.
(*d*) Conc. Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 8.
(*e*) Bingh. lib. 2. Orig. Eccles. cap. 11. §. 10.
(*f*) Epiph. epist. ad Jo. Hierosolym.
(*g*) Epist. ad Jo. Hierosolym.
(*h*) Hist. relig. cap. 13.

tum autem est totum ordinationis officium in Missa cathecumenorum, quæ in oblatione desinebat, sed, ut non sine ratione possumus adfirmare, tantisper exclusis catechumenis. Sane Chrysostomus in sacris ordinationibus comprecari & acclamare docet, *eos, qui mysteriis initiati sunt*, & subdit, *neque enim fas est coram non initiatis cuncta detegere* (*a*). Et auctor *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, quæ de sacris ordinationibus initio operis exponit, ea cathecumenis enarrari diserte vetat; ac proinde multo minus eadem inspectare potuerunt. Itaque paulo plenius interpretari oportet Canonem V. Laodicenum, quo statuitur, *non oportere τὰς χειροτονίας, ordinationes, in præsentia audientium fieri*, ut nempe nomine audientium omnes intelligantur cathecumeni; nec puto admittendam Zonaræ & Balsamonis interpretationem, qui contra quam Latini interpretes fecerunt, nomine χειροτονίας non ordinationes, sed electiones intelligunt. Finita vero ordinatione videntur iterum admissi cathecumeni, ut sermonem, quem recens ordinati Episcopi habebant, audirent. Et reipsa auctor apostolicarum constitutionum consecrationem Episcopi ante dimissos cathecumenos peractam refert (*b*). Quidquid vero hujus rei sit, majores præsertim ordines in sacra liturgia conferri debent; nam tonsura & minores ordines etiam extra Missarum solemnia conferuntur (*c*): quæ etiam antiqua videtur fuisse disciplina.

Ordinatio gratiam *confert.*

§. X. Venio ad ordinationis effectus, qui propria & naturali ejus vi producuntur, *gratiam* nempe & *characterem*. Et quantum ad primum, per ordinationem conferri gratiam, qua ordinatus idoneus Ecclesiæ minister evadit, dogma est christianæ religionis. Sane manuum impositione dari gratiam constat ex Apostolo, qui Timotheum admonet, ut excitaret, & ne negligeret gratiam, quæ in eo erat per impositionem manuum presbyterii (*d*). Consentiunt Patres. Asserit Gregorius Nazianzenus invisibili quadam vi ac gratia ordinati Sacerdotis animam in melius transformari (*e*). Et Ambrosius, sive quisquis auctor libri sit *de dignitate sacerdotali*, docet, in ordinatione hominem manum imponere, Deum gratiam elargiri. Chrysostomus gratiam, quam excitare debebat Timotheus, ita interpretatur, *hoc est gratiam, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, & ad omne religionis obsequium*. Et auctor de cælesti hierarchia scribit, divinam in ordinatione sacerdotali efficaciam gratiamque tribui dignam Sacerdotibus.

Et imprimit characterem *indelebilem.*

§. XI. Ordinationis effectus alter *character* est, cujus nomine venit nota quædam spiritualis & indelebilis in anima impressa, qua or-

(*a*) Hom. XVIII. in 2. ad Cor.
(*b*) Lib. VIII. cap. 5. & seq.
(*c*) Pontif. Rom. de tons & minor. ordin., Eucholog. tit. de Ordinat. lectoris.
(*d*) 1. ad Timoth IV. 14. & ad Timoth. I. 16.
(*e*) Orat. in baptism. Christi.

ordinatus semel acceptam semper retinet potestatem: quem ordinationis effectum inter catholicas doctrinas Florentini & Tridentini Patres recensent. Non occurrit quidem apud antiquos diserte ordinationis character, nec fortasse nobis ejus intima innotescet constitutio; at reipsa quandam in ordinatione, non minus quam baptismo, notam in anima imprimi veteres tenuerunt. Certe Augustinus signum in anima baptizati & ordinati impressum comparat signis in monetis Principum insculptis, & notis militaribus in corporibus militum imprimi consuetis (*a*): illudque *baptismi* & *dandi baptismi Sacramentum* appellat (*b*). Hoc vero signum semel in Sacramentis impressum, nunquam aufertur, quæcumque fuerit culpa baptizati, vel ordinati, hactenus ut si baptizatus, vel ordinatus excommunicetur, vel degradetur, retineat tamen semel acceptum baptismi & ordinationis Sacramentum. *Sicut autem baptizatus*, inquit idem Augustinus (*c*), *si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit*: idque quia *quadam consecratione utrumque homini datur, illud quum baptizatur, istud quum ordinatur* (*d*).

Ordinationes non iterantur.

§. XII. Semel ergo legitime celebratæ ordinationes non possunt iterari. Sacramentum dandi baptismi semel acceptum, semper durat, & ita inter actiones vetitas & nefarias semper censuit Ecclesia iteratas ordinationes. Concilium Carthaginense III. plenariæ Synodi Capuensis, seu potius Capsensis, vestigiis insistens, decrevit, quod æque illicitum sit baptismum iterare ac ordinationes (*e*). Canones apostolici & ordinantem & ordinatum, qui vel dederit, vel receperit secundam ordinationem, deponi præcipiunt (*f*). Et Augustinus in Ecclesia catholica licere negat vel baptismum, vel ordinationem iterari quæcunque fuerit culpa ejus, qui semel lotus, vel ordinatus est. Et hinc rerum ecclesiasticarum ignarus erat Macedonius anachoreta, quem Flavianus Antiochenus vi Presbyterum ordinavit, dum sequenti Dominica, ut sacris interesset, invitatus, adstantibus dixit, an se iterum Presbyterum creare vellent, recteque illi responderunt, *fieri non potest, ut bis eadem fiat manuum impositio* (*g*). Ergo in catholica ordinati in crimen quantumvis enorme lapsi, non secundam accipiunt ordinationem, sed vel in pœnam nunquam ministrare permittuntur, vel, si obEcclesiæ bonum in ministerium restituuntur, id reconciliatoria manuum impositione, non secunda ordinatione fieri debet, recteque in Con-

(*a*) August. contra Parmen. lib. 2. cap. 13. ap. Grat. Can. XCVII. c. 1. q. 1.
(*b*) Can. XXXII. de Consecr. D 4.
(*c*) Cit. Can. XXXII.
(*d*) Cit. Can. XCVII.
(*e*) Conc. Carthag. III. Can. XXXVIII.
(*f*) Can. LXVII.
(*g*) Apud Theodor. Hist. relig. cap. 13.

Concilio Romano sub Melchiade damnatus Donatus, *quod*, ut refert Optatus (*a*), *confessus sit rebaptizasse*, *& Episcopis lapsis manum imposuise: quod ab Ecclesia alienum est.*

Obligatio ad clericatum an est perpetua?

§. XIII. Jam vero ordinati Clerici majores minores veteri Patrum stante disciplina ad perpetuum Ecclesiæ ministerium erant obligati, nec poterant renunciare clericatui, iterumque amplecti vitam sæcularem: quod antiqui Canones Chalcedonenses (*b*), Turonenses (*c*) & Triburienses (*d*) statuerunt, excommunicatione in eos declarata, qui ad sanctum propositum non redirent. Nec lex civilis minus severa erat in Clericos desertores, etenim decreto quoddam Arcadii & Honorii curiæ vindicantur (*e*), & edicto Justiniani (*f*) eorum bona Ecclesiæ, cui erant addicti, transcribuntur. Ordinatio species erat consecrationis, quæ Clericos Deo dicabat, & sacrilegii quoddam genus erat, quod Deo sacrum habebatur, profanare. Et quamvis Clerici minores recte ad nuptias convolarent, non tamen cum nuptiis ejurabant clericatum, sed conjugati in proprio gradu inserviebant Ecclesiæ. Stetit per XII. & amplius sæcula perpetua ad clericatum obligatio (*g*); at inde paulatim invaluit, ut Clerici minores impune ad sæculum redirent, tantumque perpetua stabilitate Clerici majores tenerentur. Auctus Clericorum minorum numerus, desueta fere minorum ordinum officia, redditus ecclesiastici majoribus fere Clericis deputati, & leges quarumdam provinciarum Clericos conjugatos clericalibus spoliantes privilegiis, disciplinæ induxerunt mutationem: non quod Ecclesia ejurandi clericatus indulsit libertatem, sed quod pœnas in desertores temperavit. Signum depositi clericatus est abjectio vestis Clericalis, & apud nos si prima tonsura initiati, & minores clerici non servant anni spatio rationem vivendi pactis conventis præscriptam, quæ vult, ut Clerici habitum & tonsuram deferant, Ecclesiæ deserviant, & studiis incumbant, à Canone delentur, & clericalibus privantur privilegiis (*h*). Interim facta libertate ejurandi clericatus passim cautum in Conciliis (*i*), ut tonsura clericali ii tantum donentur, quorum spes est, ut perpetuum Deo serviant, clericatum elegisse; ut hinc intelligas, Ecclesiam etiam hodie omnium Clericorum desiderare stabilitatem.

CA-

(*a*) Lib. 1.
(*b*) Conc. Chalced. Can. VII.
(*c*) Conc. Turon. I. Can. V.
(*d*) Conc. Tribur. Can. XXVII.
(*e*) L. 39. Cod. Th. de Episc.
(*f*) L. 55. Cod. de Episc.
(*g*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 14.
(*h*) Concord. cap. 4. n. 7. & seq.
(*i*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 4. et ult.

CAPUT XXV.

De ordinibus gradatim suscipiendis & eorumdem interstitiis.

Ordines per gradus suscipiendi.

§. I. Antiqua est Ecclesiæ disciplina moribus recepta, quæ initio facto ab inferioribus ministeriis per progressionem ad sacerdotium jubet adscendendum (*a*). Est hic ordo naturalis, & in mundana militia etiam servatus, ubi quis miles primum, deinde centurio, tum imperator (*b*). Etenim inferiora ministeria rudem paulatim expoliunt animum, demonstrantque vitam & morum probitatem, & omnino necessarium est, ut quis ante discat, quam doceat. Sæculo quarto Eusebiani præsertim nulla præmissa ordinum progressione Episcopos ordinabant, adeo ut, quemadmodum conqueritur Athanasius (*c*), ethnici homines, cathecumeni, primariique decurionum & divites in spem episcopatus pro christiana religione profiterentur Arianismum. Unde Patres Sardicenses ad antiquos mores confirmandos, statuerunt, *ut si quis dives vel ex foro scholasticus Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit, & in unoquoque gradu si dignus existimatus fuerit ad episcopatum per progressionem possit adscendere* (*d*). Erant *scholastici* in ordinem advocatorum adlecti. Contra Eusebianos præcipue Canon videtur conditus, ac proinde tantum de divitibus & scholasticis loquitur; verum Canonis ratio generalis, ad merita promovendorum dignoscenda, omnes ex æquo complectitur. Et reipsa, qui postea prodierunt, Canones & Pontificum Decretales generatim ad episcopatum per gradus progredi voluerunt (*e*).

In singulis ordinibus diu immorandum.

§. II. Interim in ordinibus gradatim suscipiendis non cito progrediendum, sed in unoquoque gradu diutius immorandum. *Habebit*, subjungunt Patres Sardicenses, *unusquisque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides & morum probitas & constantia & moderatio possit cognosci.* Et vero non dicis causa inductus est ordinatus ad sacerdotium adscensus, sed ut sensim ministri in inferioribus gradibus proficiant in virtutibus, sæculi mores paulatim deponant, discant, quæ postea alios doceant, paulatimque adquirant virtutem omnem Episcopo consentaneam. *Quis instar figuli,*

(*a*) Cyprian. epist LII. al. LV. ad Antonin.
(*b*) Gregor. Nazianz. orat. 20. in laud. Basil.
(*c*) Apolog. ad Constantium Augustum.
(*d*) Conc. Sardic. Can. X.
(*e*) Conc. Bracar. I. Can. XXXIX.

li, inquit Gregorius Nazianzenus (*a*), *uno ipso die fictilia sua tornantis, ita repente fingat veri cultus Antistitem, cum angelis stantem & cum archangelis laudes canentem & Christo consacrificantem?* Ars nempe omnium dificillima est cura animarum, & longo potius usu & experientia, quam meditatione adquiritur. Et profecto absonum omnino est, ut quis animarum Antistes momento temporis evadat, quemadmodum poetæ gigantes finxerunt, quum nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, qui nec morborum naturas considerarit, nec multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit. Unde sanctissimi viri Synesius, Ambrosius, Augustinus summopere indoluerunt, quod vi inflatæ plebis correpti, Sacerdotes creati sunt, priusquam didicissent.

Interstitia *non eadem olim semper fuerunt.*

§. III. Spatia temporis inter unum & alterum ordinem interjicienda *interstitia ordinum* posterior ætas appellavit. Varia fuit Ecclesiæ disciplina de temporis in unoquoque gradu diuturnitate. Patres Sardicenses in singulis gradibus diu voluerunt immorandum; at quandiu non expresserunt, id relinquentes vel arbitrio Episcoporum, vel variæ Ecclesiarum disciplinæ. Satis longa in Occidente post medium sæculi quarti erant interstitia. Usque ad annum tricesimum Clerici, in varias stationes tributis annis, in minoribus gradibus stipendia faciebant, anno tricesimo in Diaconos crescebant, & si ultra quinque annos bene ministrassent, creabantur Presbyteri (*b*). Eodem sæculo quarto in Oriente breviora occidentalibus erant interstitia, nam triginta annorum ætas idonea erat ad presbyteratum, quamvis nullus extet Canon, qui certa tempora definiat. Sed labentibus annis in utraque Ecclesia, pro variis temporum necessitatibus, indulgentia Episcoporum, aut zelo ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ nunc breviora, nunc longiora interstitia obtinuerunt. Sæculo XII. in Occidente simul omnes minores ordines dabantur (*c*), Hypodiaconi vero & Diaconi singuli quique in proprio gradu anno ministrabant, & in Oriente inter unum & alterum ordinem una tantum hebdomada intercedebat, quod Balsamon testatur.

In veteri disciplina plures minores ordines prætermissi.

§. IV. Verum enimvero ordinata ad ordines progressio, antiquis moribus consecrata, non necessario importabat omnium graduum susceptionem. Et minores quidem ordines tantum abest, ut omnes percurri debuerint, ut potius eorum unus pluresve jure ordinario omitterentur. Erant nempe minores gradus officia potius, quam honores, nec singuli ad ea officia obeunda necessarias habebant qua-

(*a*) Ap. Justin. novel. CXXXVII. cap. 1.
(*b*) Siricius Papa ep. I. ap. Grat. Can. III. D. 77.
(*c*) Cap. 2. ext. de eo, qui furtive ord. suscep.

litates. *Alius*, inquit Ambrosius (*a*), *distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique congruat, id officii deputet.* Unde non omnes omnibus inferioribus gradibus poterant donari, & ab uno inferiori gradu, omissis intermediis, facilis transitus erat ad majorem. Certe Patres Sardicenses tantum lectores esse jubent ante diaconatum, quotquot divites & scholastici ad episcopatum promoventur (*b*). Et Decretales Siricii, Innocentii, Zosimi veluti jure ordinario unum pluresve pro varietate personarum ex ordinibus minoribus demonstrant omissos (*c*): prostantque in antiquis monumentis exempla bene multa eorum, qui non per omnes inferiores gradus ad sacerdotium pervenerunt (*d*). Præcipuæ necessitatis habebatur lectoratus, in quo majoris industriæ specimen dare poterant Ecclesiæ ministri, quam in reliquis gradibus, quorum manualia fere erant officia. Quin multis constat monumentis in casibus, ubi minus opus erat probatione, omnes inferiores gradus prætermisos, facilisque à monachatu ad sacros ordines transitus fuit.

An ordines majores omitti potuerint?

§. V. Quod vero spectat ad ordines hierarchicos, num eorum unus & alter omitti potuerint, inter eruditos non convenit. Multi cum Hallierio & Thomassino ægre patiuntur ordinum hierarchicorum omissiones. Jo. Morinus (*e*) admittit, prætermissum aliquando diaconatum; at nullum extare exemplum profitetur episcopatus non Presbytero collati. Sed alii, ubi minus opus erat probatione, generatim ordines hierarchicos opinantur omissos. Et vero ubi Diaconi in Episcopos eligebantur, in aliquibus Ecclesiis omissus videtur presbyteratus. Ita Cæcilianus Archidiaconus Carthaginensis in diaconatu ordinatus est Episcopus (*f*): & quotquot Diaconi in Ecclesia Romana in Pontifices electi sunt, episcopalem tantum benedictionem videntur accepisse: quod Jo. Mabillonius (*g*) & Franc. Pagius (*h*) pluribus docent, & præsertim auctoritate secundi libelli ordinis Romani, ubi præscribitur, ut in Pontificem eligatur unus ex Cardinalibus Diaconis, vel Presbyteris, & in electi consecratione nullum discrimen est, sed una eademque pro utroque præscribitur consecratio. Nempe ordo, qui præ cæteris industriam & probitatem ministrorum commonstra-

(*a*) Lib. 1 de Off. cap. 44.
(*b*) Cit. Can. X.
(*c*) Siric. ep. I. cap 9. & seq., Innoc. I. ep IV cap. 5., Zosimus ep. I. cap. 3.
(*d*) Hallier. de Sacr. elect. & ordin. part. 3. sect. 7. cap. 1. art. 7. §. 4.
(*e*) De SS. ordinat. part. 3. exercit. 11. cap. 2.
(*f*) Optat lib. 1.
(*g*) Comment. præv. *in ordinem Roman.* §. 18.
(*h*) Breviar. Hist. chr. in Sabiniano Papa n. 2. & seqq.

trabat, erat diaconatus; Diaconi enim non minus res Ecclesiæ temporales, quam spirituales procurabant: & ita non videbatur esse opus alia probatione quum Diaconi ad episcopatum promovebantur. Bene multa quoque eorum prostant exempla, qui vel ab ordinibus minoribus, vel à statu laicorum ad presbyteratum, vel ad episcopatum convolarunt. Ut ecce Martinus Turonensis & Felix Nolanus ambo exorcistæ (*a*), & Cosmas quidam in Ecclesia Syracusana adhuc Hypodiaconus (*b*) in Presbyteros creverunt. Et Origenes, Macedonius anachoreta, Paulinus, Augustinus aliique adhuc laici presbyteratu initiati sunt. Antonius lector ab Augustino primati in Fussalensem Episcopum oblatus est (*c*). Et Nectarius statim à baptismo Constantinopoli Episcopus creatus (*d*). In his aliisque exemplis opinatur Thomassinus (*e*), in eadem liturgia omnes ordines hierarchicos collatos, tantumque scriptores ultimi gradus meminisse, quod omnibus notum erat, inferiores hierarchicos gradus non posse prætermitti. Sed antiqua Ecclesia ordines ad exercitium conferre solebat: & secundus libellus ordinis Romani unam & pro Diaconis & pro Presbyteris electis in Pontifices præscribens ordinationem, diserte excludit, plures in una liturgia ordines hierarchicos collatos. Satius est igitur dicere, putasse veteres inferiores omnes gradus majoribus inesse, & hinc quando aut unus, aut duo gradus idoneam sufficiebant probationem, aut viri alias exploratæ fidei & probitatis sacerdotio initiabantur, ordines intermedios habitos minus necessarios. Id tamen verum est, in casibus, quibus ex laicis Episcopi ordinati sunt, specialem Dei providentiam, cui Canones & leges cedere oportet, intercedere debuisse, quod unus ex apostolicis Canonibus edicit (*f*).

In nova disciplina omnes ordines suscipiendi.

§. VI. Sed temporis lapsu mutata est disciplina, & omnes ordines, etiam minores, ad vim & veluti integritatem majorum cœperunt pertinere. Ita factum, ut omnes continua serie præmitti debeant, nec amplius ordinum omissiones audiantur. Græci nono sæculo ex moribus pridem receptis omnes inferiores præmittebant gradus; at Latini hac ipsa ætate Diaconos prætermisso Presbyteri gradu, Episcopos creabant. Vitio certe Latinis vertebat Photius, quod apud eos Diaconi Episcopi fierent presbyteratu non accepto (*g*). Ca-

(*a*) Sulpit. Sever. in vita S. Martini, Paulin. nat. IV. S. Felicis.
(*b*) Gregor. M. lib. II. ep. XXXIV. Can. VI. D. 74.
(*c*) August. ep. CCLXI. ad Cælestin.
(*d*) Socrat. lib. 5. cap. 8., Sozomen. lib. 7. cap. 8.
(*e*) Thomass. p. I. l. 2. c. 36. n. 15.
(*f*) Can. apost. LXXX.
(*g*) Nicolaus Papa epist. LXX.

Calumniari Græcos Ratramnus (*a*) affirmabat; at Æneas, Parisiensis Episcopus, factum non negat, quin potius usum probare conatur, vel quod presbyteratus eminentissime contineatur in episcopatu, vel quod Romani Hieronymo assentiantur, Presbyteros ab Episcopis minus secernenti. Verum sæculo XI. generatim apud Latinos omnes ordines continua serie majoribus anteibant: observatque Franc. Pagius (*b*), ex Diaconis in Pontifices electis primum Gregorium VII. prius in Presbyterum & altera die in Episcopum benedictum. Non parum hanc promovit disciplinam conficta sub nomine Caji Papæ Decretalis, quæ de inferioribus gradibus ita loquitur, quasi necessario omnes percurri debeant (*c*). Et hinc non mirum si sæculo nono Synodus Suessionensis in Gallia, ubi primum falsæ Decretales prodierunt, exauctorandum eum censuit, qui post acceptum ab Ebbone jam deposito diaconatum, Presbyter ordinatus fuerat, uti qui ad presbyteratum, non accepto diaconatu, properasset (*d*).

Vetitæ ordinationes per saltum.

§. VII. Nova hæc disciplina, quæ veluti ad vim majorum ordinum omnes inferiores requirit, novum jus circa ordinationes induxit, ne scilicet ordines *per saltum* conferantur. Vox *saltus* in causa ordinationis in Decretalibus Siricii & Zosimi occurrit (*e*), significatque non aliquem ex antecedentibus ordinibus omissum, sed potius non emensa in singulis gradibus præstituta interstitia. At novis moribus ordinationes per saltum tunc fieri dicuntur, quum, uno aut pluribus ex inferioribus ordinibus omissis, majori initiamur, veluti si hypodiaconus omisso diaconatu Presbyter ordinetur. Per saltum ordinati accipiunt quidem sacerdotii ordinem & Sacramenti sanctitatem, at summo jure recepti ordinis cadebant exercitio, quod testatur Ivo Carnotensis (*f*): quin Synodus Rotomagensis an. CIↃLXXII. depositione censuit dignos Presbyteros & Diaconos, qui nullis unquam minoribus donati fuerant ordinibus. Interim tamen benigna invaluit disciplina, qua per saltum ordinati, suppletis prius ordinibus omissis, indulgentia Episcopi in ordine suscepto ministrabunt, & ad majores promoventur, quod Alexander II. (*g*) & Innocentius III. (*h*) rescripserunt. Omissus ordo omnino suppleri debet, nam ex nova disciplina veluti ad vim superioris censetur necessarius. Verum tum demum misericordia cum ordinatis per saltum Episcopus utetur, quum ta-

(*a*) Contra Græc. opposita l. 3. c. 8.
(*b*) Breviar Hist. chron. in Sabiniano.
(*c*) Can. I. D. 77.
(*d*) Flodoard. lib. 3. cap. 11.
(*e*) Siric. ep I. can. II., Zosim. ep I.
(*f*) Epist. CLXXXIV. & CCXXIV.
(*g*) Can. I. D. 52.
(*h*) Cap. un. ext. de Cler. per saltum promoto.

talis ordinatus in suscepto ordine non ministraverit, nam si ministraverit, tantum summus Pontifex dispensat (*a*).

Diuturnitas interstitiorum in nova disciplina.

§. VIII. Reliquum modo est, ut quæ sint in nova disciplina stata interstitiorum tempora, aperiamus. Sub finem sæculi XII. nec novum, nec inusitatum erat, quatuor minores ordines uno die dari, quod ex patriæ consuetudine Cælestinus III. duxit tolerandum (*b*). Cautius servata sunt inter majores ordines interstitia, statuitque an. CIↃCXCIX. Concilium Dalmatiæ, cui Innocentii III. legati præfuerunt, Hypodiaconos & Diaconos anni spatio esse in suo quosque gradu, & inde *majori* ordine initiari. Jure Concilii Tridentini minores ordines *sejunctim*, & per temporum interstitia conferri debent, nisi aliud Episcopo expedire videatur (*c*); pendetque ab Episcopi sapienti consilio quanto quisque tempore in suscepto ordine permaneat. Hypodiaconi non initiantur, nisi annus exactus sit à postremi ordinis minoris susceptione (*d*); & inde saltem post annum à suscepto hypodiaconatu ad gradum promoventur superiorem (*e*). Et demum Diaconi ad minus per annum functionibus diaconatus defungi debent, & inde augentur presbyteratu (*f*). Negari interim non potest, ordinum interstitia moribus præsentibus, quibus desueta pene sunt ordinum minorum & ipsius diaconatus officia, non adeo exactam exhibere probationem. Et quamvis jusserint Tridentini Patres, minorum ordinum & ipsius diaconatus functiones restitui; tamen secundum receptos mores vix sperandum, ut in hac causa antiqua remeet disciplina. Unde Morinus scribit (*g*), ordines minores non fuisse ab Ecclesia abrogatos, ut antiquæ disciplinæ perpetua extarent monumenta, & admonerentur Episcopi & Presbyteri, magna opus esse probatione ad episcopatum & presbyteratum, quum videant ex Ecclesiæ clementia varios probatorios gradus momento veluti percurrit, per quos olim longo tempore erat procedendum.

Potestas Episcopalis ad contrahenda interstitia.

§. IX. Jam stata interstitiorum tempora Episcopi ex juxta causa contrahunt, veluti si satis probata fides sit ordinandorum, aut si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ suadeat (*h*): nec probari potest Epis-

(*a*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 14.
(*b*) Cap. 1. ext. de eo, qui furtive ordin. susc.
(*c*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 11.
(*d*) Trid. loc. cit.
(*e*) Trid. loc. cit. cap. 13.
(*f*) Trid. loc. cit. cap. 14.
(*g*) De SS. ordinat. part. 3. exercit. 13. cap. 1. n. 10.
(*h*) Conc. VIII. œcum. Can. V., Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 11. 13. & 14.

Episcoporum facilitas, duos aut omnes minores ordines nulla necessitate, aut utilitate Ecclesiæ suadente simul conferentium, quasi Tridentini Patres eorundem interstitia ipsorum arbitrio remisissent. Verum non usque adeo se extendit Episcopi potestas ad interstitia contrahenda, ut duo sacri ordines eodem die conferantur (*a*). Exstant quidem in antiquis monumentis exempla aliqua ordinum sacrorum in eadem liturgia collatorum, veluti Cypriani, qui presbyterium & sacerdotium simul accepit (*b*), & Pauliniani, Hieronymi fratris, qui Diaconus simul & Presbyter creatus est (*c*); at exempla ista præter regulas videntur fuisse. Quin etiam vetitum duobus sibi consequentibus diebus, qui fictione canonica pro uno reputantur, duos sacros ordines conferre, veluti si quis Sabbato ordinationis ad vesperam Diaconus, & sequenti die Dominico continuato jejunio Presbyter ordinetur, quod Innocentius III. rescripsit (*d*). Sæculo XIII. adhuc ordinationes ad vesperam Sabbati habebantur, & continuatio jejunii usque ad Dominicæ mane vesperam Sabbati & Dominicam in diem unum compingebat. Editis Decretalibus privilegia obtinuerunt aliqui de duobus sacris ordinibus uno die dandis, vel recipiendis, at Tridentini Patres ea revocarunt privilegia, & antiquum jus per omnia restituerunt (*e*).

CAPUT XXVI.

De temporibus ordinationum.

Primis sæculis qualibet die habitæ ordinationes.

§. I. Per tria priora & amplius Ecclesiæ sæcula ordinationes Clericorum tam superiorum, quam inferiorum graduum nullis certis diebus fuerunt adstrictæ, sed prout opus erat, quilibet ordinabatur. Sane de Episcopis constat, eos vacatione sedis adveniente fere nulla adhibita mora electos fuisse & simul consecratos. Speciatim de Pontificum Romanorum ante Constantinum ordinationibus contra Papebrochium firmissimis argumentis ex chronologia petitis Pagius (*f*) demonstravit, eas quolibet hebdomadis die fuisse celebratas. Et Alexandriæ decessore adhuc Episcopo insepulto novus Episcopus creabatur, quod Epiphanius (*g*) & Liberatus (*h*) testantur. Antiquis quoque demonstratur monumentis, Presbyteros & Diaconos, prout res Ecclesiæ exigebant, fuisse creatos, nec fuisse sta-

(*a*) Cap. 15. ext. de Tempor. ordinat.
(*b*) Pontius Vita Cypriani.
(*c*) Epiph. epist. ad Joan. Hierosolym.
(*d*) Cap. 13. ext. de Temp. ordinat.
(*e*) Sess. XXIII. de Ref. cap. 13.
(*f*) Critic. in Baron. 67. n. 14.
(*g*) Hæres. 69.
(*h*) Breviar. cap. 20.

statos dies, in quibus generales ordinationes haberentur. Paulinus, licet quarti sæculi Presbyter, de seipso testatur, quod die, quo Dominus *nasci carne dignatus est*, presbyteratu fuit initiatus (*a*). Et de Ambrosio ex fama refert Paulinus (*b*), quod baptizatus omnia ecclesiastica officia implevit, atque octava die Episcopus ordinatus est. *Itaque*, sunt verba Christiani Lupi (*c*), *diaconatum ac presbyteratum non potest in quatuor temporum Sabbatis accepisse.* Cyprianus Aurelium ipsis calendis Decembris lectoratu, & Optatum mense Augusto hypodiaconatu initiavit: quod ex supputandi regulis Pearsonius asserit (*d*).

Sed inde apud Latinos habitæ die Dominica.

§. II. Pace per Constantinum Ecclesiæ data, ab antiquis institutis de habendis qualibet die ordinationibus occidentalis paulatim descivit Ecclesia; variamque pro vario tempore induxit, fovitque disciplinam. Et vero sæculo quinto tantum die Dominica Episcopos, Presbyteros & Diaconos Ecclesia Romana consecrabat: quod constat Leonis M. loco, ubi postquam Pontifex docuit contra apostolicam traditionem esse, passim qualibet die *sacerdotales* (quo nomine Episcopos & Presbyteros comprehendit) & *Leviticas* ordinationes celebrari, hanc formam creandorum Sacerdotum de more Romano Dioscoro Alexandrino inculcat observandam (*e*). *Ut his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die Dominicæ resurrectionis tribuatur, cui à vespera Sabbati initium constat adscribi.* Nomine *Dominicæ resurrectionis* non diem paschatis, sed quamlibet diem Dominicam Leo M. intelligit, idque de veterum more, qui, ut observat Quesnellus (*f*), quamlibet Dominicam *resurrectionis diem*, diem vero paschatis *sanctum pascha* & *paschalem festivitatem* nuncupant. Apostolica autem traditio, unde diem Dominicæ resurrectionis ordinationibus sacrum Leo M. inculcat, nulla videtur esse potuisse; siquidem primis sæculis potius qualibet die, quam in Dominica Sacerdotes creabantur. Et fortasse Leo mores in sua Ecclesia tum receptos apostolicam appellavit traditionem, quod familiare Leoni esse Quesnellus & Pagius (*g*) observarunt. Interim tamen non videtur dubitandum, saltem post Constantinum cœpisse Romanos Pontifices ordinationes in Dominica resurrectionis celebrare. Quî alias poterat Leo ad antiquam provocare traditionem? Unde nulla omnino esse potest *pontificalis Romani* fides, qui in plerisque vitis Pontificum etiam post Constantinum ab iis celebratas or-

(*a*) Paulin. epist. VI. ad Sever.
(*b*) Vit. Ambrosii cap. 6.
(*c*) Schol. in quædam decreta S. Leonis IX. Decret. III.
(*d*) Annal. Cyprian. an. CCL. n. 15. & 20.
(*e*) Leo M. ep. XI. edit. Quesnel.
(*f*) Diss. VI. de Jejunio Sabbati inter opera S. Leonis.
(*g*) Critic. in Baron. an. LXVII. n. 15.

ordinationes mensi Decembri addixit. Scilicet in plerisque articulis vacillat fides *pontificalis*, & fortasse ejus auctor suo tempore receptas consuetudines antiquitati appinxit.

Quinque stata ordinationum tempora.

§. III. Non diu post Leonem M. de sacrandis quolibet die Dominico Sacerdotibus & Levitis integra stetit disciplina. Etenim ante finem sæculi quinti Presbyterorum & Diaconorum ordinationes Sabbatis quatuor solemnium anni temporum & Sabbato mediæ quadragesimæ alligatæ sunt. *Ordinationes*, sunt verba Gelasii (*a*), *Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi & decimi, sed & etiam quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimæ die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Inducta quidem erant vel ante Leonem M. quatuor stata jejuniorum tempora, non tamen causa ordinationis, sed quod qualibet anni parte christiani purificationibus indigerent, ut ipse Leo M. observat (*b*). Optimum forsan visum Pontificibus ipsa stata jejuniorum tempora ordinationibus præstituere, ut magis accederet ad mores Apostolorum, qui jejunantes & orantes manus Diaconis imposuerunt. Ex his quinque consecrandis Presbyteris & Diaconis dictis temporibus unum inde mutatum fuit: auctore enim Alexandro III. mediæ quadragesimæ ordinatio in Sabbatum sequens ante Dominicam passionis transiit, idque, si vera observat Christianus Lupus, quia tertia quadragesimæ hebdomada ex antiquo Ecclesiæ more occupatur baptizandorum scrutiniis, & ita ordinandorum scrutinia visa sunt in sequentem hebdomadam transferenda (*c*).

Sabbato sancto etiam ordines dantur.

§. IV. Jam præter solemnia tempora à Gelasio præscripta, hodie etiam Sabbato sancto habentur ordinationes. Quamvis ante Gelasium qualibet die Dominica, quæ à vespera Sabbati incipiebat, Sacerdotes & Levitæ benedicebantur; id tamen in solemnitate paschali minime videtur fieri potuisse (*d*), quod ea festivitas baptismo solemni ejusque cæremoniis erat destinata: constatque integrum diei officium totum ad recens natos pertinuisse. Nec postea Gelasius, qui ordinationes certis temporibus addixit, quidquam habet de Clericis Sabbato sancto consecrandis: silentque de hac ipsa die Synodus Romana sub Zacharia an. IↃCCXLIII., Ivo Carnotensis (*e*) & sub Urbano II. Synodus Claromontana (*f*), dum alia stata ordina-

(*a*) Epist. IX. ad Episc. Lucaniæ cap. 11.
(*b*) Serm. IX. de jejunio septimi mensis.
(*c*) Lupus Schol. in quædam decreta Leonis III. Decret. III.
(*d*) Quesnel. not. in ep. 11. Leonis M.
(*e*) Epist. LVIII.
(*f*) Cap. 24.

nationum tempora numerant. Primus, quod sciam, Alexander III. inter legitima sacrandis ministris tempora recensuit Sabbatum sanctum (*a*). Forsan novo huic ordinationum tempori inducendo causam Gratianus præbuit, decreta Leonis M. & Gelasii rhapsodiæ inserens suæ (*b*). Nempe sæculi XII. sapientes *Dominicam resurrectionis*, quæ à vespera Sabbati incipiebat, pro solemnitate paschali falso videntur accepisse, & ita non animadvertentes Gelasiano decreto antiquæ derogari disciplinæ, novum habendis ordinationibus diem induxerunt: cujus opinionis ipse etiam videtur fuisse Gratianus, apud quem in vulgatis codicibus tantisper mutata verba Gelasii referuntur, ut Sabbatum sanctum inter tempora ordinationum retulisse videatur. *Sed & etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Ita apud Latinos nata sex ad habendas ordinationes tempora, quatuor nempe anni tempora, Sabbatum *Sitientes* & Sabbatum sanctum.

Qua diei hora celebrantur ordinationes.

§. V. Et hactenus de statis per annum ordinationum diebus; dicendum modo qua diei parte fuerint celebratæ. Per plura sæcula in Ecclesia Latina Sacerdotales & Leviticæ consecrationes nocturnis potius horis, quam claro die habitæ sunt, incipiebantque à vespera Sabbati, & usque ad matutinas diei Dominicæ horas poterant continuare (*c*). Varias mysticasque hujus instituti rationes Quesnellus & Hallierius (*d*) adsignant; sed potissima videtur fuisse difficultas continuandi jejunii usque ad Dominicæ diei lucem (*e*). Jejunis nempe per jejunos ordines conferri voluit Ecclesia: & hinc ne continuatio jejunii usque ad Dominicæ mane ordinantes & ordinatos defatigaret, habendis ordinationibus nox Sabbatum sequens destinata est. Vespere autem illud Sabbati, unde incipiebant ordinationes, ad Dominicam potius, quam ad Sabbatum pertinebat secundum legalem ab Ecclesia servatam synagogæ regulam, quæ sole occidente diei faciebat initium; quod Leo M. & Synodus Claromontana sub Urbano II. (*f*) diserte docent. Unde Missa in ordinationibus celebrari solita diei Dominicæ, non Sabbati propria erat. Et ita tempore quadragesimæ in Sabbato ordinationum non recitabatur oratio super populum, ad quam antiqui & capita & genus flectebant, quia antiqui mores die Dominico genuflecti non patiebantur: & Dominicæ, quæ Sabbatum ordinationum sequuntur, officio carebant, ut Micrologus (*g*) & Honorius Augustodonen-

(*a*) Cap. 3. ext. de Temp. ordinat.
(*b*) Can. V. & VII. D. 75.
(*c*) Leo M. epist. II. edit. Quesnel., Gelasius epist. IX. ad Episc. Lucaniæ.
(*d*) De sacr. elect. & ordin. part. 3. sect. 7. cap. 1. art. 4.
(*e*) Lupus Schol. in cit. Decr. III. Leon. IX.
(*f*) Cap. 24.
(*g*) De ecclesiast. observationib. cap. 29.

nensis (*a*) adnotarunt. Sæculo circiter nono ad tertiam diei Dominicæ horam consecrationes Episcoporum transierunt, quod tum Apostoli Spiritum sanctum accepissent (*b*); at initio sæculi XIII. adhuc ad vesperam Sabbati Presbyteri & Diaconi creabantur (*c*). Inde vero paulatim vespertinæ jejuniorum Missæ apud nos celebrari desierunt, & ita generales Clericorum ordinationes una cum Missis ad matutinas Sabbati horas transierunt.

Græci stata ordinationum tempora non habent.

§. VI. Sex quidem sunt apud Latinos stata ordinationum tempora; at Græci adhuc antiquos servant mores, nullumque habendis ordinationibus diem præfixum habent; quod ipsi summi Pontifices Cælestinus III. & Innocentius III. agnoverunt (*d*). Vix erat, ut Græci formam celebrandarum ordinationum à Leone M. inculcatam possent admittere, utpote quæ fundamentalibus Ecclesiæ Græcæ disciplinæ regulis repugnaret. Præter unicam paschæ vigiliam nulla Sabbata Græci jejunant. Inter capitales Marcionis errores retulit Epiphanius jejunium Sabbatarium: & Imperator Michael Amoriensis, quod Sabbati jejunium cogitabat inducere, de Manichæismo, aut Paganismo suspectus fuit, ut Gregorius Cedrenus testatur. Quî ergo fieri poterat, ut Græci post vesperam Sabbati continuato jejunio ordinationes celebrarent? Id tamen verum est, intra tempus quadragesimæ non solere Græcos aliis quam Sabbatis & Dominicæ diebus Episcopos & Presbyteros consecrare, si forte Sabbatum sanctum excipias, in quo ex omnibus Sabbatis ex apostolica traditione jejunant. Scilicet Episcopos & Presbyteros, non secus ac Latini, in pleno sacrificio consecrant, & tempore jejunii Græci præsanctificata tantum offerunt.

Intra quod tempus Episcopi ordinantur.

§. VII. Jam Episcoporum ordinationes, quæ die Dominico ex antiqua disciplina apud Latinos celebrantur, in longum non sunt protrahendæ. Et primis quidem sæculis nullum certum tempus in plerisque Ecclesiis erat definitum, quo Episcopi ordinarentur; sed statim ac commodum erat, Metropolitæ & Episcopi comprovinciales conveniebant, & de more facta electione, eodem tempore electum ordinabant. Inde turbis in longum distractis electionibus jussit Concilium Chalcedonense, ut trium mensium spatio Episcopi ordinentur, nisi inevitabilis necessitas cogeret ordinationem differendi (*e*). Ecclesiæ Africanæ vacare ad summum per annum poterant (*f*): & Alexandriæ an-

(*a*) Gemma animæ lib. 3. cap. 156.
(*b*) Lupus loc. cit.
(*c*) Cap. 13. ext. de Tempor. ordinat.
(*d*) Cap. 9. & 11. ext. de Tempor. ordinat.
(*e*) Conc. Chalc. Can. XXV.
(*f*) Cod. Afr. Can. LXXIV.

antequam defunctus terræ mandaretur, novus Episcopus constituebatur (*a*). Verum in præsenti disciplina trimestri spatio à die confirmationis Episcopi debent ordinari, quo elapso perceptos fructus restituent, & si intra totidem menses id facere negligant, Ecclesiis ipso jure privantur (*b*).

Dies consecrationis Episcopus festus fuit.

§. VIII. Sed de die, quo Episcopus consecrabatur, id oportet observare, eum fuisse festum anniversaria etiam solemnitate, saltem pro Episcopis celebrioribus, celebrari consuetum. Ergo cogebantur conventus ecclesiastici, habebantur ad populum sermones, & omnes adhibebantur dierum festorum solemnitates. Supersunt adhuc multæ apud veteres homiliæ in die anniversariæ consecrationis Episcopi recitatæ. Et hinc consuetudo manavit, ut cathedra S. Petri, qua vel Antiochiæ, vel Romæ primum sedit, ab omnibus Ecclesiis solemnis haberetur, exstantque ea de re duo Augustini sermones. In Hieronymiano aliisque antiquis martyrologiis quotannis hæc recurrens consecrati Episcopi festivitas notatur sub titulis *ordinatio Episcopi*, & *natale episcopatus*, quod Pagius observavit (*c*), Augustinus vero *natalem cathedræ* appellat (*d*). Unde patet, *natalem episcopatus* nec diem natalem, nec emortualem alicujus Antistitis denotare, sed potius diem, quo quis Episcopus ordinatus cathedram adscendit (*e*). Et vero is etiam quodammodo nasci videtur, qui novam vivendi incipit rationem: quo sensu apud Spartianum *natalem adoptionis* ad Imperium occurrit (*f*).

An minores ordines statis temporibus conferendi?

§. IX. Jam sex anni stata tempora habendis ordinationibus addicta, proprie spectant Presbyteros & Diaconos, & ex nova disciplina etiam Hypodiaconos. Etenim quantum ad ordines minores, inter quos etiam hypodiaconatus censebatur, nono sæculo, quo *Ordo Romanus* scriptus creditur, antiqua stabat libertas de iis quovis die conferendis (*g*). Inde Urbanus II. Hypodiaconos ad majorem gradum evexit, & ita eorum benedictio extra tempora cæteris Episcopis, non vero Romano Pontifici, interdicta (*h*). Ipsa quoque minorum ordinum collatio ad dies Dominicos & festos restricta est, ita tamen ut *unum aut duos ad minores ordines* Episcopi promoveant, ut Alexander III. rescripsit (*i*): quod ita intelligunt canonistæ, licere iis diebus etiam plures minoribus or-

(*a*) Epiph. hær. 69.
(*b*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 2
(*c*) Pagius critic. in Baron. an. 57.
(*d*) Serm. XV. de Sanctis.
(*e*) Hallier. de Sacr. elect. & ordin. part. 3. sect. 7. cap. 2. art. 2.
(*f*) Spart. in Trajano.
(*g*) Can. VI. D. 75.
(*h*) Cap. 1. ext. de Tempor. ordinat.
(*i*) Cap. 3. ext. de Tempor. ordinat.

ordinibus initiare, modo generales non celebrentur ordinationes (*a*). Quin consuetudo in multis diœcesibus obtinet, ut feriis sextis quatuor temporum minores ordines conferantur; quæ consuetudo à multitudine ordinandorum, ordinationem in Sabbato in longum protrahentium, forsan repetenda. Clericatus autem, seu prima tonsura quacumque die, hora & loco conferri potest, ut habet hodiernum pontificale.

Majores ordines ex venia dantur extra tempora.

§. XI. Ut ergo extra tempora Hypodiaconi, Diaconi & Presbyteri ordinentur, opus est dispensatione, quam solus Romanus Pontifex indulget (*b*). Quod si posthabita Canonum relaxatione extra tempora ordines conferantur, non defuerunt, qui de vi ipsius ordinationis dubitarent. Sed tempore Alexandri III. extra tempora ordinati deponebantur & ordinantes ordinandi cadebant potestate (*c*). Inde statuit Urbanus III. ut sic ordinati tandiu ab officio suspendantur, quandiu à summo Pontifice in suis gradibus non fuerint restituti (*d*). Suspensio autem ista non ipso jure, sed ab Episcopo infligebatur, sed semel inflictà inter reservata Romana censebatur (*e*). Unde si Episcopus sententiam suspensionis non dixerit, forte quod admissi contra Canones reatus ordinatos pœnituerit, non videtur opus Pontificis restitutione, & indulgentia Episcopi ordinati in susceptis ordinibus possunt ministrare: in quam sententiam videtur Gregorius IX. respondisse (*f*). Nec aliter jus est præsentibus temporibus, nam quamvis Pius II. extra tempora ordinatos ipso jure ab officio edixerit suspensos (*g*), iisque Sixtus V., reservata summo Pontifici suspensionis dispensatione, ad superiores ordines adscensum interdixerit (*h*); tamen Clemens VIII. pœnas à Pio & Sixto statutas ad antiquos terminos reduxit (*i*).

CAPUT XXVII.

De titulo ordinationis.

Quæ est ad titulum *ordinatio.*

§. I. Ordinatio *ad titulum* in antiquis monumentis ea dicitur, quæ fit cum Ecclesiæ designatione, cui ordinatus debebat inservire. *Tituli* nempe nomine apud ecclesiasticos scriptores veniebant Ecclesiæ vel à ti-

(*a*) Glossa in cit. cap. 3.
(*b*) Ivo Cartonens. epist. LVIII.
(*c*) Cap. 2. ext. de Tempor. ordinat.
(*d*) Cap. 8. ext. eod.
(*e*) Hallier. de Sacr. elect. & ordinat. part. 3. sect. 7. cap. 1. art. 2. §. 4.
(*f*) Cap. 16. ext. eod.
(*g*) Bulla *Cum ex sacrorum.*
(*h*) Bulla *Sanctum & salutare.*
(*i*) Bulla *Romanum Pontificem.*

titulis Martyrum, quibus dicabantur, vel quia inde Clerici nomen titulumque mutuabant suum. Alio nomine hæc ipsa titularis ordinatio *loco fundata* & ipsi Clerici *locales* dicebantur, quod scilicet eorum functio certo loco erat adstricta. *Vana habenda est ordinatio*, sunt verba Leonis M. (*a*), *quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.* Proprius autem cujusque Ecclesiæ *Canon*, hoc est catalogus, indicabat titulum, ad quem Clerici promoti erant: nam statim ordinati Clerici suæ Ecclesiæ catalogo inserebantur, ac proinde *esse in Canone* & *Canonicum* localem esse denotabat. Ex ipsis titulatis qui proprii rectores erant Ecclesiarum, dicebantur *Cardinales*, vel quod Ecclesia universa circa eos, veluti totidem cardines, volveretur, vel ab ipsa *incardinatione*, quæ firmior in iis, quam in reliquis Clericis eidem Ecclesiæ addictis, habebatur. Ordinatio *absoluta* è contrario ordinatum nulli deputabat Ecclesiæ.

Clerici omnes olim ordinabantur ad titulum.

§. II. Jam antiqua est Ecclesiæ disciplina, quæ jubet, Clericos omnes majores minores ad titulum ordinari. Apostoli ad Evangelium prædicandum missi sunt in solidum: at jam constituta Ecclesia, ad evitandam confusionem, ordinem & distinctos fines postulabat. Itaque vel ab ipsis Apostolorum temporibus cautum, ut ordinatio Clericos certæ adligaret Ecclesiæ, in qua propria obirent officia. Quam antiquam disciplinam hoc edito Canone Concilium Chalcedonense confirmavit (*b*). *Nullum absolute ordinari* (convenit) *nec Presbyterum nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio, is, qui ordinatur, designetur.* Ad Episcopos æque ac reliquos inferiores Clericos hæc regula spectabat; nam inde usque ab Apostolis Episcopi etiam ad certam parœciam, in qua ordinarias episcopatus functiones exercerent, fuerunt ordinati; videturque Canon diserte eos non apprehendisse, quod hactenus fere incognitæ erant episcopales sine titulo ordinationes. Confirmatam à Patribus Chalcedonensibus disciplinam sequentes Canones renovarunt, semperque exhorruit Ecclesia Clericos vagos nullique Ecclesiæ addictos.

Variæ Ecclesiæ erant tituli ordinationum.

§. III. Sufficiebant vero ordinationi titulum *Ecclesia civitatis* & *pagi, martyrium* & *monasterium.* Ecclesia *pagi* erat Ecclesia parochialis in pagis constituta, erantque jam tempore Concilii Chalcedonensis in pagis institutæ Ecclesiæ parochiales, in quibus seorsim ab Ecclesia civitatis sacri fiebant conventus, & ita necessarium erat, eas proprios habere Clericos. Nomine *martyrii* veniunt privata oratoria, quæ super Mar-

(*a*) Epist. XCII. ad Rustic.
(*b*) Conc. Chalc. Can. VI.

Martyrum sepulchra exstruebantur, & ad sacra in iis fieri solita privati & aliquando etiam reliquus populus conveniebat (*a*). Ipsa quoque monasteria habebant privata sacella: quumque olim Monachi omnino laici essent, aut eorum unus, aut aliquis sæcularis Clericus ad titulum monasterii ordinabatur, ut in eo sacris in gratiam Monachorum operaretur, & Sacramenta administraret (*b*). *Beneficii* titulus, ad quem ordinari Clericos jubent recentiores Canones, ab Ecclesiæ, vel oratorii titulo non differt; nam beneficia dantur propter officia, iisque donati Clerici suorum beneficiorum adstringuntur Ecclesiis. Tituli vero, ad quos Clerici ordinabantur, ante ordinationem solebant publicari (*c*), formulamque publicationis *ordo Romanus* exhibet, & ex nova disciplina etiam publicantur (*d*).

Pauci olim sine titulo ordinati.

§. IV. Jam disciplina, quæ ordinationes omnes loco fundatas esse jubebat, eo ipso tempore, quo maxime vigebat, aliquas exceptiones passa est. Certe Hieronymus ea conditione presbyteratum se scribit accepisse, ut sibi ad monasterium reverti liceret (*e*). Istiusmodi etiam erat ordinatio Macedonii notissimi anachoretæ, quem dolo bono à cella abductum & Presbyterum ordinatum, Flavianus Episcopus Antiochenus in desertum reverti concessit (*f*). Et Paulinus de ordinatione sua ita scribit: *Ea conditione in Ecclesia Barcinonensi consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantum Domini, non in locum Ecclesiæ dedicatus* (*g*). Hæc & alia pauca exempla ordinationum sine titulo ob bonum Ecclesiæ universalis facile possunt excusari. Scilicet summi viri, qui Ecclesiæ maxime utiles esse poterant, vel respuebant clericatum, quod se tanto oneri impares judicabant, aut ideo ab eo abhorrebant, quod suæ libertati & vitæ solitariæ vinculum imponi ægre ferebant Unicum ergo ad tantam resistentiam vincendam supererat remedium, ut sine titulo ordinarentur: nec à ratione alienum esse Episcopi ducebant, aliquid de rigore disciplinæ remittere, & eos absolute ordinare, qui sapientia & pietate sua Ecclesiæ servirent universæ. Interim Hieronymus per omnia non videtur Episcopos excusare, dum ita Paulinum Antiochenum sui ordinatorem adloquitur. *Si sic presbyterium tribuis, ut non Monachum auferas, tu videris de judicio tuo* (*h*).

Clerici omnes in Ecclesiis suis debebant immorari.

§. V. Jam ad titulum facta ordinatio natura sua Clericos Ecclesiæ

(*a*) Gregor. M. in lib. 10. epist. 12.
(*b*) Palladius in Lausiac. cap. 7.
(*c*) Florens. tract. de Præb. & dignitatib.
(*d*) Conc. Mediol. IV. part. 2. cap. 8.
(*e*) Hieronym ep 61. ad Pammach.
(*f*) Theodor. Hist. Relig. cap. 13.
(*g*) Paulin. ep. VI. ad Sever.
(*h*) Hieronym. ep. cit.

siæ & Episcopo perpetuum mancipabat, nobiliorisque servitutis speciem inducebat, qua sui tituli Ecclesiam relinquere vetabantur. Eo enim spectabat, ut in destinata sibi Ecclesia juge impenderent ministerium. Itaque Clerici omnes una & perpetua immorandi in Ecclesiis suis lege tenebantur, quod antiqui omnes Canones, in primis Arelatenses, Carthagineses, Sardicenses aliique decernunt (*a*). Quin in promissione de servandis Canonibus, quam ante ordinationem edebant, diserte se locales futuros spondere tenebantur. *Ut nullum Episcopi ordinent*, inquit Concilium Valentinum (*b*), *qui localem se futurum primitus non spoponderit.* Quapropter si Clerici ab Ecclesiis suis recedebant; ab aliis Episcopis excipi non poterant, eoque, unde profecti erant, redire cogebantur, aliter usu ordinis cedebant, & excipientes Episcopi excomunicabantur: quæ antiqua est Ecclesiæ disciplina in Canonibus apostolicis statuta (*c*), & in Concilio Nicæno aliisque Conciliis sæpe repetita (*d*). Nec unquam tam gravis poterat esse causa, qua proprio Episcopo invito licebat alienos Clericos excipere, & apud se retinere, ne juramento quidem interposito, quo externi Clerici Episcopis jurarent, se ab eorum Ecclesiis nunquam abituros (*e*).

Nec eas sine Episcopi venia poterant relinquere.

§. VI. Uno tantum casu permissum erat Clericis proprias relinquere Ecclesias, & in alias transire, si nempe auctoritate proprii Episcopi Ecclesiæ nexu solverentur. Generaliter quidem vetat Concilium Arelatense II., ne ullus Clericus *quacumque occasione faciente propriam relinquat Ecclesiam* (*f*); at id cum ea exceptione intelligendum, nisi Episcopus suam interponat auctoritatem, quam exceptionem Canones apostolici, Carthaginenses, Turonenses aliique diserte addunt (*g*). Et in hunc finem olim inductæ erant *litteræ dimissoriæ*, quibus datis Episcopi sibi Ecclesiæque suæ Clericos addictos veluti emancipabant, & omnino dimittebant: acceptisque ita dimissoriis licebat Clericis ad alios Episcopos transire. *Nullus omnino Clericus*, inquit Concilium Trullanum (*h*), *in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta dimissoria in alienæ Ecclesiæ catalogum referri.* Exempla duo litterarum dimissoriarum, quorum unum veluti à Patribus Nicænis, alterum veluti ab Attico Constantinopolitano Gratianus in rhapsodiam conjecit suam (*i*), certe sunt supposi-

(*a*) Conc. Arelaten. I. Can. XXI., Conc. Carth. III. Can. XXXVII., Conc. Sardic. Can. XVI. al. XX.
(*b*) Can. pen. & ult.
(*c*) Can. Apost. XV. & XVI.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. XVI., Conc. Antioch. Can. III., Conc. Chalced. Can. XX.
(*e*) August. epist. 240. ad Sever.
(*f*) Conc. Arelat. II. Can. XIII.
(*g*) Can. Apost. XV., Conc. Carthag. IV. Can. XXVII., Conc. Turon. I. Can. XI.
(*h*) Conc. Trullan. Can. XVI.
(*i*) Can. I. & II. D. 73.

sititia. Per litteras autem dimissorias nexu Ecclesiæ ordinationis soluti Clerici, ab ejus Canone eorum nomina delebantur, novæque Ecclesiæ Canoni inserebantur, in qua deinceps locales esse debebant.

Clerici instabiles damnati.

§. VII. Multo minus licebat Clericis de loco in locum vagarî, nihilque magis perpetuæ in Ecclesia moræ adversatur, quam loci instabilitas & perpetua vagandi cupido. Vaganti Clerici, quos Synesius per opprobrium appellat βακαντιβυς, *vacantivos* (*a*), in externis Ecclesiis recipi in communionem non poterant, qua proposita pœna eos ad officium redire Ecclesia cogebat (*b*). Interim vero in necessitatibus Ecclesiæ licebat Clericis assensu Episcopi vel metropolitæ peregrinari: & hoc casu non tantum publicis Ecclesiarum alebantur redditibus, verum etiam in proprio gradu recipiebantur, & in omnen honorem erant admittendi, quæ est antiqua Ecclesiæ disciplina in Conciliis Arelatensi I. & Carthaginensi IV. confirmata (*c*). Et hinc Anicetus summus Pontifex Polycarpo Romam, ad componendam controversiam de paschatis celebratione, profecto παρεχώρησεν τὴν ἐυχαριστιαν *locum* seu *potestatem consecrandi in Ecclesia sua* concessit, ut apud Eusebium Irenæus narrat (*d*): erraruntque profecto primi Eusebii interpretes, qui ea verba ita acceperunt, quasi Anicetus Polycarpo Eucharistiam porrexit. Verum peregrini Clerici tum demum proprio gradu excipiebantur, quum *formatis*, seu *comendatitiis* suorum Episcoporum litteris instructi ambulabant, nam alioquin potius ut errones tractabantur. Commendatitiæ vero litteræ diligenter erant inspiciendæ & examinandæ, ne qua fraus irreperet: quo spectat unus ex Canonibus Apostolicis (*e*), qui si de genuitate earum non constaret, jubet necessaria tantum Clericis exhiberi, ad communionem vero non admitti, ut habet Græcus Canon, nec recte Dionysius Exiguus ita vertit, quasi Canon iis etiam deneget necessaria.

Vetantur Clerici pluribus Ecclesiis adscribi.

§. VIII. Porro semel alicui Ecclesiæ adscripti Clerici vetabantur alteram, aut plures alias eodem tempore usurpare, in quibus tanquam ministri deservirent, & acciperent victualia. Quî enim in duabus Ecclesiis poterant Clerici juge impendere sacrum ministerium? Sed quod attinet ad Presbyteros aliosque inferiores Clericos, inter Ecclesias diœcesanas & parochiales videtur distinguendum. Et quantum ad diversas diœceses, certi juris erat, non posse Clericos in duarum ci-

(*a*) Synes. epist. LXVII.
(*b*) Conc. Agath. Can. LII., Conc. Epaonens. Can. VI.
(*c*) Conc. Arelat. I. Can. XIX. & Conc. Carth. IV. Can. XXXIII.
(*d*) Iren. ep. ad Victor. ap. Euseb. lib. 5. cap. 24.
(*e*) Can. Apost. XXXIV.

civitatum Ecclesiis adscribi, proprioque excidebant gradu, qui secundam retinentes, ad suæ ordinationis Ecclesiam non redibant, quod Patres Chalcedonenses statuerunt (*a*). Verum in eadem diœcesi in ministrorum penuria permittuntur Clerici in duabus vicanis vicinisque Ecclesiis deservire, interim vero earum redditus ad eos non spectabant, sed in ærarium Episcopi confluebant, unde accipiebant victualia. Et certe Synodus VII. eo ipso quo vetat duabus Ecclesiis civitatum Clericos adscribi, id in suburbanis fieri permittit (*b*). *Et hæc quidem in hoc à Deo conservanda urbe; cæterum in villis, quæ foris sunt, propter hominum inopiam indulgeatur.*

Clerici à suo titulo accipiebant victualia.

§. IX. Verum enimvero perpetua Clericorum ad Ecclesiam adscriptio suo non carebat commodo, nam jus dabat ad vivendum de ecclesiasticis redditibus. Similis in hac causa temporali est spiritualis militia, quod in utraque nemo stipendiis militat suis. Et vero media opus erant Clericis ad vitæ sustentationem, ut Ecclesiæ possent deservire. Media autem ista Ecclesia ipsa snppeditabat, æquissimumque videbatur, ut qui altari inserviebant, de altari etiam viverent. Ergo ab Episcopi ærario, in quod primis sæculis redditus omnes confluebat, Clerici omnes pro ratione officii sua accipiebant victualia: quæ quoniam in sportulis primum tributa sunt, Clericos *fratres sportulantes* Cyprianus appellat (*c*). Instituta quidem postea fuit in Ecclesiis Occidentalibus solemnior bonorum ecclesiasticorum partitio in quatuor, aut tres portiones (*d*); verum hac partitione nihil de juribus Clericorum imminutum, semper in tributum veniebant. Sed posterioribus sæculis clericatus non semper redditus ecclesiasticos tribuit, quod separatis ab ordinatione beneficiis fieri cœptum; nam institutis beneficiis omnes ecclesiastici redditus beneficiis addicti sunt, & hinc, nisi Clerici beneficia etiam obtinerent, nudam sacrorum potestatem in ordinatione accipiebant.

Quî laxata tituli necessitas.

§. X. Disciplina, quæ Clericos omnes ad titulum ordinari, ordinatosque in designata Ecclesia immorari præcipiebat, per XI. circiter sæcula integra perduravit. Sed indè abrumpi cœpit nexus Ecclesiam inter & Clericos, passimque invaluerunt sine titulo ecclesiastico ordinationes: quæ innovatio fieri cœpit postquam beneficia separata sunt ab ordinatione. Scilicet quando officia ecclesiastica certis redditibus donata, seorsim ab ordinatione conferebantur, sponte

(*a*) Conc. Chalced. Can. X.
(*b*) Conc. Nicæn. II. Can. XV.
(*c*) Cypr. epist. LXVI. al. I.
(*d*) Simplic. Papa epist. III. ad Florent., Galas. ep. I. al. IX. ad Episc. Lucaniæ c. 27. Conc. Bracar. I. Can. XXV.

te sua eveniebat, ut ordinati sæpe tantum generalem sacrorum potestatem consequerentur, nullo certo loco affixam & determinatam. Quo antiqua staret disciplina necesse erat tot ordinari Clericos, quot erant beneficia. At his terminis non steterunt Episcopi & ambitione eorum, qui Clerici fieri cupiebant, & studio dilatandæ propriæ jurisdictionis. Ergo passim circa sæculum XII. sine Ecclesia ordinati sunt non minus Clerici minores, quam majores. In tanta disciplinæ remissione tituli necessitatem identidem renovavit Ecclesia, sed ei legi præcipue Diaconos & Presbyteros subjecit, extatque in hanc sententiam decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III., ubi ita decernitur. *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu ei necessaria vitæ subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere* (*a*). Forte Patres non curarunt de titulis ordinum minorum, quod eorum officia non amplius vigebant. Sed inde tituli necessitas extensa est ad Hypodiaconos, qui jam inter majores ordines censebantur, quod primum in Concilio Londinensi an. CIↃCC. factum videtur (*b*).

Ordinatio ad titulum patrimonii.

§. XI. Jam vero non diu post Concilium Lateranense necessitas tituli etiam in ordinibus majoribus remissa est, occasione tituli *patrimonii* de novo inducti, qui permittit Clericos ordinari, quo casu ipsi satis habent ad vitam sustentandam. Cœpit novitas disciplinæ ex male intellecto mox relato Canone Lateranensi. Ea fuit ejus mens, ut Episcopi, qui sine titulo ordinaverant, Diaconos & Presbyteros alerent, quousque illis conferrent beneficium, extra quamsi ordinati de suo haberent, unde viverent. Hæc exceptio tantum onere alendi liberabat Episcopos, quo casu bonis instructi essent ordinati, non potestatem ordinandi patrimonio divites faciebat. At mentem Canonis minime adsequentes ejus ætatis interpretes, inde concluserunt, posse Episcopos etiam sine beneficio ordinare, modo ordinandi ipsi divites essent. Juvit hanc opinionem ipse Canon VI. Chalcedonensis ex versione, quæ extat apud Gratianum (*c*): *Nemnem absolute ordinari... nisi in Ecclesia civitatis, sive possessionis.* Nempe nomine *possessionis* intellexerunt patrimonium, quum tamen possessio eo loci, ut etiam apud bonos auctores (*d*), vicum, sive pagum significat; κωμὴ enim, cui respondet *possessio*, in Canone Græco vicum denotat, opponiturque civitati. Mala interpretatio statim in

(*a*) Cap. 4. ext. de Præbend.
(*b*) Conc. Londin. Can. VI.
(*c*) Can. I. D. 70.
(*d*) Festus v. *Possessio*. L. 1. Cod. de Episc. & Cleric.

in usum versa; Episcopi pro arbitrio vel ad Ecclesiæ, vel ad patrimonii titulum cœperunt ordinare, eamque tituli indifferentiam Canones admiserunt (*a*). Ita solutus nexus Ecclesias inter & Clericos, Clericorumque vagantium & inertium frequentia innumerabilis emersit: & exinde titulus ordinationis, qui antea denotabat Ecclesiam, cui Clerici perpetuum deservirent, acceptus fuit pro redditibus, unde honeste alerentur ordinandi (*b*).

Decreta Tridentini de titulis ordinationis.

§. XII. In comitiis tandem Tridentinis tantis incommodis obviam itum est, & reparata ecclesiastica disciplina. Et quidem statuerunt ii Patres, neminem sæcularem Clericum ad sacros ordines deinceps promoveri, nisi ecclesiasticum habeat beneficium ad vitam sufficiens, illudque ordinatos resignare non posse, nisi eo expresso, quod titulus erat sacræ ordinationis, resignationemque nullum esse, nisi aliunde resignantibus sit ad vitam satis: patrimonium vero vel pensionem habentes non ordinari, nisi quos Episcopus *pro necessitate ac commoditate Ecclesiarum* judicaverit assumendos, eo addito, ut patrimonium, vel pensio sint sufficientia, nec possint alienari, nisi tantundem patrimonii, aut beneficii adquiratur (*c*). Spectabat hoc decretum potius ad Clericorum sustentationem, quam ad locales ordinationes. Ergo inde renovato Can. VI. Chalcedonensi, generaliter statuerunt, neminem deinceps ordinari, qui certæ Ecclesiæ non adscribatur, ut muneribus fungatur suis, ne instabilis & incertus vagetur (*d*). Itaque omnes Clerici majores minores adscribi Ecclesiis debent; sed minoribus Clericis tituli necessitas non est imposita, satisque habuerunt Patres, eis assignari stipendia ex aliqua parte reddituum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ (*e*). Nempe novo jure non simplex ad Ecclesiam deputatio titulum facit, sed beneficium, aut patrimonium. Satis erant hæc decreta ad disciplinam aliquatenus sustinendam; at Episcopi facilos judices in æstimanda necessitate, aut utilitate Ecclesiarum, plures ordinarunt, quam servitium earum postulabat. Ergo iterum redierunt abusus, quibus pacta conventa inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium olim Regem nostrum quæsiverunt medicinam. Etenim placuit ad titulum beneficii omnes attonderi in Clericos, tantumque in vera necessitate & Ecclesiæ utilitate posse Episcopos patrimonio aliquem ad tonsuram promovere (*f*).

Pœ-

(*a*) Cap. 23. ext. de Præbend., Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 9. n. 5.
(*b*) Espen. part. 2. tit. 9. cap. 6. n. 11.
(*c*) Trid. sess. XXI. de Ref. cap. 2.
(*d*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 16.
(*e*) Trid. loc. cit. cap. 17.
(*f*) Concord. cap. 4. n. 1. & 3.

Pœnæ ordinationum sine titulo.

§. XIII. Videamus modo, qua pœna puniuntur absolutæ ordinationes. Statuit Synodus Chalcedonensis, eos, qui absolute ordinantur, ἄκυρον habere manuum impositionem, hoc est *irritam* ac *vacuam* (*a*). Consonant Leo M. & Urbanus II., quorum ille *vanas*, hic vero *irritas* sine titulo ordinationes pronunciavit (*b*). *Irrita* autem & *vacua* in veteri disciplina videtur fuisse ordinatio, quæ nulla esset ab initio, ut Zonaras & Balsamon interpretantur, agnoscuntque etiam Franc. Florens (*c*), & Espenius (*d*): quamvis post sæculum XII. cœperunt Latini irritas & vacuas ordinationes sic interpretari, quæ vacuæ essent effectu & usu, non quæ ab initio non consisterent. At jure Decretalium nec effectu vacuæ pronunciantur absolutæ ordinationes, sed tantum coguntur Episcopi alere majores Clericos absolute ordinatos, qui de suo non habent unde vivant (*e*). Tridentini Patres *antiquorum Canonum pœnas* renovarunt (*f*): quibus verbis eos ad jus Decretalium spectasse, non ad Canones antiquos sacra Congregatio declaravit (*g*). Quo jure abrogata per Clementem VIII. bulla Sixti V., qua sine titulo ordinati ipso facto suspendebantur, nunc utimur. Sed si Clerici per fraudem falsum titulum obtrudant, eoque ordinentur, tunc ordinati ab ordinibus susceptis suspenduntur: quod multis probat Fagnanus, qui refert ita sacram Congregationem respondisse (*h*).

Origo Episcoporum titularium.

§. XIX. Jam vero absolutæ ordinationes, quæ posterioribus sæculis tot errones pepererunt Clericos, etiam in Episcopis cœperunt usurpari, atque ita nati Episcopi *titulares*, qui ordinantur ad titulum Ecclesiæ, cui nec intendunt, nec possunt deservire. Unde dicti *titulares* non quia Ecclesiis intitulantur, eisque deserviunt, sed quia nudum titulum nomenque ab Ecclesiis mutuantur, vel potius dicuntur *titulares*, ut lucus à luce derivatur. Incursionibus infidelium, qui à sæculo VI. plures in Oriente & Occidente christianas occuparunt civitates, Episcopi sedibus dejecti sunt suis: & perdurante adhuc infidelium dominatione, denatis ejectis Episcopis, novi creati sunt, qui interim vel aliis Ecclesiis præficiebantur, vel auxilio erant aliis Episcopis, ne muneris pastoralis omnino expertes essent. Sic

Lis-

(*a*) Conc. Chalc. Can. VI.
(*b*) Leo M. epist. XCII. ad Rustic., Urbanus II. Can. II. D. 70.
(*c*) Tract. de Præb. & dignit.
(*d*) Comment. ad Can. VI. Chalc. post edit.
(*e*) Cap. IV. ext. de Præbend.
(*f*) Sess. XXI. de Ref. cap. 2.
(*g*) Ap. Fagnan. ad cap. *Cum secundum apostolicum*. ext. de Præbend. n. 63.
(*h*) Fagnan. loc. cit. n. 68.

Lissitana civitate ab hostibus capta, Joannem ejus Episcopum Scyllatinæ Ecclesiæ interim Gregorius M. præposuit (*a*). Et tempore dominatus Maurorum Episcopi Hispani Oveti morabantur, loci Episcopo in auxilium accedentes, & inde factum, ut Ovetum *civitas* diceretur *Episcoporum*, quod tradit Mariana (*b*). Spes, quæ non exigua pellucebat, deperditas urbes recuperandi, & christiani in captis urbibus reliqui, qui commonstrato pastore erant recreandi, justas suppeditarunt indulgentiæ causas ad novos Episcopos sufficiendos: & reipsa ex indulgentia Trullana Synodus Episcopis, quibus injuria infidelium additus ad Ecclesias suas non patebat; honorem, gradum & administrationem sustinuit (*c*). Pia hæc Ecclesiæ consilia subinde effectu non caruerunt: etenim Cyprus à Sarracenis recuperata, & Hispania, ejectis Mauris, pastores receperunt suos. Ex iisdem principiis postquam Latini sacris expeditionibus occupatas Orientales civitates relinquere coacti sunt, pertexerunt etiam novos Episcopos Latinos creare, quamvis eæ civitates suos Græcos haberent Episcopos. Spes nempe adhuc Latinis erat iterum deperditis urbibus & imperio Græco potiundi, & multi Latinorum adhuc ex iis Ecclesiis supererant. Sed inde lapsa omnino spe deperditas urbes recuperandi, in undum Episcopi nomen, etiam pro iis urbibus, qui populo christiano carebant, Latini Episcopos crearunt, tantum ad personas decorandas; nam alioquin certum erat, ob linguæ ignorantiam aliaque adjuncta ordinatos Episcopos gregis sibi commissi curam nunquam esse suscepturos. Ambitu hominum, qui ex religione quæstum faciunt, brevi creverunt numero umbratiles Episcopi, & præsertim mendicantes, ad habitum religionis excotiendum ad tantum nomen convolarunt (*d*).

Episcopos titulares graves Ecclesiæ.

§. XV. Sic invaluerunt absolutæ Episcoporum ordinationes, quæ & sacris Canonibus adversantur, & graves fuerunt Ecclesiæ. Etenim tales nomine tenus Episcopi nullo loco affixi, nullisque redditibus donati Ecclesias instabiles circumibant, aliena usurpantes jura, & quæstum ex ordinatione facientes, multique etiam aliis Episcopis deservire coacti sunt. Unde turbata ecclesiastica disciplina, & proprii pastores magis otio deinceps indulserunt, tantundem reputantes, num per se, an vicaria alterius opere pastorali officio defungerentur. Et postquam Tridentini Patres antiquam renovarunt disciplinam, ne Episcopi in alienis parœciis, proprio Episcopo invito, explicarent pontificalia; in loco nullius, aut monasterio exento Episcopi titulares cathedram posuerunt (sic legi

(*a*) Can. XLII. cap. 7. q. 1.
(*b*) Mariana lib. 7. cap. 18.
(*c*) Conc. Trull. Can. XXXVII.
(*d*) Espen. part. 1. tit. 15. cap. 3. n. 17.

gi fraudem facientes) & quoscumque obvios contra Apostolum cito ordinabant (*a*): quo facto, præter alia incommoda, ministris inutilibus gravabant Ecclesiam. Ergo optimi quique Episcoporum in Concilio Tridentino in nomine tenus Episcopos declamarunt, eosque, tanquam Ecclesiæ graves, amplius esse non debere magnis animis petierunt (*b*). Sed Synodus abusus emendasse contenta, eos esse passa est. Vetuit nempe ne Episcopi titulares in loco nullius, vel monasterio exempto cathedras erigerent, & quoscumque ad se venientes ordinarent, suspensis alioquin Episcopis ipsis in annum ab episcopalibus functionibus, & ad arbitrium proprii Episcopi ab usu ordinum susceptorum suspensis ordinatis (*c*). Interim adserere non dubitat Fagnanus (*d*), *creare Episcopos titulares sine rationabili causa, & eo tantum fine, ut ea dignitate alicujus persona qualificetur, seu decoretur, abusionis est.*

CAPUT XXVIII.

De Episcoporum translationibus & renuntiationibus.

Translationes Episcoporum olim generaliter vetitæ.

§. I. Sancta & individua esse debet Episcopi & Clericorum omnium cum Ecclesia sua conjunctio, nec quavis ratione facile solubilis. Unde Episcopi & Clerici semel Ecclesiis adscripti, eas relinquere vetantur, & ad alias transire. Et sane propter tumultum & seditiones Nicæni Patres edixerunt, *ut de civitate in civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur* (*e*): quam eandem regulam alii Canones proponunt, præsertim vero Antiocheni & Sardicenses, quorum illi *nec sponte sua, nec vi coactum à populis, nec Episcoporum comprovincialium suasu & auctoritate* ad aliam Ecclesiam Episcopum transire permittunt, sed unumquemque manere jubent *in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est* (*f*); isti vero etiam eam rejiciunt exceptionem, quam quis populi litteras afferat, quibus se postulatum affirmet (*g*). Nullus certe adhuc inventus est, qui de civitate majori ad minorem transferri postulavit, quemadmodum ipsi observant Patres Sardicenses; ut hinc merito concludendum, ambitione inflamari eos Episcopos, qui sedem mutare appetunt. Fixa hæc antiqua regula cordi erat Eusebio Cæsareensi,

(*a*) Trid. sess. XIV. de Ref. cap. 2.
(*b*) Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib. 26. cap. 16.
(*c*) Trid. loc. cit
(*d*) Ad cap. *ex parte* ext. de Cleric. non resident. n. 48.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. XV.
(*f*) Conc. Antioch. Can. XXI.
(*g*) Conc. Sard. Can. I. & II.

si, qui Antiochenam, ad quam vocatus erat, refutavit Ecclesiam: quo nomine tanquam *apostolicæ & ecclesiasticæ regulæ* servatorem eum Constantinus M. commendavit (*a*). Per plura sæcula, si usquam alias, Romæ inauditæ fuerunt translationes, ubi primum ejus rei exemplum dedit Formosus, ab Ecclesia Portuensi translatus in Romanam.

Sed inde ad Ecclesiæ utilitatem permissæ.

§. II. Absolute nullaque admissa exceptione mox memorati aliique Canones vetare videntur translationes. Et intendendus quidem quarto sæculo erat disciplinæ rigor ad emendandum abusum translationum, qui opera præsertim Arianorum, ambitione, avaritia & studio suarum partium augendarum Ecclesias facile mutantium, irrepserat. Sed inde ad Ecclesiæ utilitatem translationes Ecclesia admisit, generalemque prohibitionem ad eas species arctavit, quibus ab avaritia & ambitione Clerici transferuntur: quam disciplinam Canones Concilii Carthaginensis IV. diserte proponunt (*b*). Ad rem Pelagius II. *Non mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur* (*c*). Ipsi Nicæni Patres Eustathium, Episcopum Beroeæ, ad sedem Antiochenam transtulerunt, ut Pagius ex antiquis monumentis observavit (*d*): ut hinc intelligamus, Canonem Nicenum præcipue damnasse translationes ad propriam factas utilitatem. Antiqua quoque Ecclesiæ praxis, quæ sexcentia exhibet exempla Episcoporum in Synodis translatorum (*e*), diserte evincit, cum restrictione, qua tantum ambitiosæ translationes vetarentur, prohibitionem translationum plerosque Patres accepisse. Et ita restituti pristini mores ante ipsum Concilium Nicænum usurpati, quibus ex justis causis Episcopi mutabant Ecclesias (*f*).

Pœna contra Episcoporum translationes.

§. III. Peractas translationes Nicæni Patres, translatis Episcopis & Clericis in suas Ecclesias restitutis, rescinderunt (*g*); at Patres Sardicenses ulterius procedunt, & ne *laica* quidem *communione* in fine translatos Episcopos donari voluerunt (*h*). *Laica communio*, qua subinde Clericorum crimina vindicabantur, eos ad sortem laicorum veluti reducebat, & deinceps tanquam laicos in Ecclesiæ admittebat communionem. Unde translati Episcopi in fine etiam laica communione privati, nec in morte Ecclesiæ paci restituebantur. Et ita facinus translationis inter crimina relatum, quibus etiam in morte absolutionem antiqua denegabat disciplina. Adeo nempe, præsertim Arianorum opera, creverat abusus translationum, ut severissima pœna eum extirpare Patres voluerint Sardicenses. Sæculo exeunte nono hæc pœna in Romana adhuc stabat Ecclesia, quod constat ex historia Formosi Papæ de Ecclesia Portuensi in Romanam translati. Scilicet Formosum eo nomine è sepulchro erutum & degradatum Stephanus VII. in Tiberim projecit: qua infanda barbarie odio potius privato, quam Canonibus satisfecit Sardicensibus: Formosus enim potius ex Ecclesiæ necessitate, quam ambitione in Ecclesiam Romanam videtur translatus. Sed inde denegata in fine translatis Episcopis laica communio desuevit. Et hinc Raymundus Decretalibus interpolatum inseruit Canonem II. Sardicensem hisce additis verbis, *nisi de hoc pœnituerit* (*a*), quo ipso dum sui temporis disciplinæ Canones Sardicenses aptare voluerit, ineptam iis tribuerit sententiam.

(*a*) Apud Euseb. lib. 3. de Vit. Constant. cap. 6. edit. Vales.
(*b*) Conc. Carth. IV. Can. XXVII.
(*c*) Can XXXV. c. 7. q. 1.
(*d*) Pagius critic. in Baron. ad 334.
(*e*) Socrat. lib. 7. cap. 36., Bevereg. in Can. Apost. XIV.
(*f*) Can. Apost. XIV.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. XV.
(*h*) Conc. Sard. Can. I. & II.

Cessiones episcopatuum interdictæ.

§. IV. Porro Episcopi, non minus quam reliqui Clerici, vetantur proprio arbitrio deponere pontificatum, & vitam deinceps agere privatam. Nexus Ecclesias inter & Episcopos in ordinatione contractus natura sua erat perpetuus, nec tam commodum Episcoporum, quam Ecclesiæ salutem spectabat. Secesserunt nonnulli sancti Episcopi in deserta, veluti Narcissus Hierosolymitanus (*b*), at in hoc non sunt imitandi. Et vero omnes voluntarias episcopatuum cessiones Cyrillus Alexandrinus damnat (*c*), recteque judicat, dignos Episcopos Ecclesiis suis perpetuum defigendos, indignos vero judicio canonico deponendos. Interim regula vetans episcopatuum abdicationes, eas tantum apprehendit, quæ privatis decernuntur utilitatibus; nam in Ecclesiæ salutem recte episcopatus deponuntur. Etenim regula, quæ localem Episcopum facit, regulæ potentiori de salute Ecclesiæ famulatur. *Longe est gloriosius*, inquit Augustinus (*d*), *episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse.*

Legitimæ renuntiandi episcopatus causæ.

§. V. Sex autem canonicas cessionis episcopatus causas Innocentius III. reconset (*e*), in quibus omnibus una viget utilitas Ecclesiæ.

(*a*) Cap. 2. ext de Elect.
(*b*) Euseb lib. 6. cap. 9.
(*c*) Epist. ad Domnum.
(*d*) Epist. CCXXXVIII.
(*e*) Cap. 10. ext. de Renuntiat.

siæ. Prima est conscientia criminis gravioris, cui illigata est irregularitas, quæ ne per pœnitentiam quidem expietur : qua in re sui temporis disciplinam Innocentius III. expressit ; nam antiquorum Patrum regulis conscientia cujusque gravioris criminis ad episcopatus abdicationem impellebat, nec satis erat pœnitentia crimen expiari (*a*). Altera est corporis ægritudo senio vel morbis invecta, quæ pastoralium functionum impediat executionem. Non tamen coguntur corpore debiles ad renuntiandum, sed eis potius dandus coadjutor, etiam ubi spes nulla subest curationis quod ex Gregorio M. constat (*b*). Tertia est scientiæ inopia in Episcopis necessariæ. Quarta est contumacia gregis, qui ex propria malitia alienatus à pastore, nec eum audit admonentem, & turbis & factionibus delectatur, quo nomine Martyrius Ecclesiæ Antiochenæ olim renuntiavit (*c*). Quinta est reparatio scandali occasione Episcopi suborti quod alias nequit reparari. Et ita olim Gregorius Nazianzenus audiens contra ipsum, tanquam peregrinum, populum tumultuari & murmurare, pontificatum dimisit Constantinopolitanum (*d*). Sexta est irregularitas, puta quod Episcopus sit digamus, vel viduæ maritus, nam si defectum natalium patiatur, non est sinendus Ecclesia sua abire, præsertim si anteactæ vitæ innocentia indulgentiæ locum faciat. Septima ab Innocentio omissa est studium procurandæ pacis & communionis ecclesiasticæ, quæ internis scinditur dissidiis, cujus rei memorabile exemplum olim exhibuerunt Episcopi Africani, qui sub initium collationis ad tollendum schisma Donatistarum ipsis obtulerunt, ut qua in civitate duo erant Episcopi, catholicus unus, alter donatista, ambo episcopatu abirent, & novum eligi paterentur (*e*).

Cessiones episcopatus in favorem interdictæ.

§. VI. Interim vero ex canonicis causis admissæ episcopatuum cessiones, simplices & puræ esse debent, non in alicujus certæ personæ gratiam & favorem conceptæ. Vetant certe Canones, ne Episcopi sibi deligant successores (*f*) ; officia enim ecclesiastica ejus generis non sunt, ut qui ea tenent, pro lubitu disponere possint. *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas*, inquit Origenes (*g*), *gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit.* Itaque in casu, quo admittuntur cessiones, illæsa esse debet canonica eligendi libertas, quod exempla omnia docent, in quibus olim Ecclesia resignationes Episcoporum admisit. Et Patres Antiocheni

(*a*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 54. n. 10.
(*b*) Can. I. & seq. c. 7. q. 1.
(*c*) Theodor. Lector lib. 1.
(*d*) Nazianz. orat. 32., Theod. lib. 5. cap. 8., Socr. lib. 5. cap. 7.
(*e*) Co lat. Carthag. die 1. cap. 16.
(*f*) Conc. Antioch. Can. XXIII.
(*g*) In Numer. hom. 22.

ni eo ipso quo vetant, ne Episcopi sibi adsciscant successores, jus ecclesiasticum servari volunt, quo jubetur, Episcopum cum Synodo & judicio Episcoporum constitui (*a*). Cæterum non videtur optimis Episcopis, qui pro bono Ecclesiæ abeunt episcopatu, denegatum legitimis superioribus commonstrare, quem ad Ecclesiam gubernandam judicant aptiorem : qua in re similes sunt sanctissimis primorum sæculorum Episcopis, qui ad evitandas turbas in electionibus olim fieri solitas sæpe futurum Episcopum Ecclesiæ commonstrarunt, & aliquando ipsi adhuc viventes sibi curarunt dari successores (*b*). Utinam vero posterioribus præsertim sæculis Episcopi semper ex canonicis causis episcopatibus abiissent, & abeuntes in favorem personarum eos non resignassent !

Cujus auctoritate fiunt translationes & cessiones Episcoporum.

§. VII. Jam cessiones & translationes Episcoporum antiqua stante disciplina judicio Synodorum provincialium fiebant, ubi causis expensis, prout Ecclesiæ salus postulabat, vel admittebantur, vel denegabantur. Speciatim vero in translationibus præcedere debebat Ecclesiæ canonica electio, & Principum assensus etiam necessarius habebatur (*c*). Ipsæ falsæ Decretales sub nomine Anteri docent, Episcoporum esse, quoties utilitas & necessitas coegerit, Episcopos transferre. Verum sæculo decimo mutari cœpit disciplina, sensimque inductum, ut cessiones & translationes Episcoporum sola Pontificum auctoritate decernerentur. Falsæ Decretales, quæ Concilia provincialia sine assensu Pontificis haberi non patiebantur, & metropolitæ aut ab Ecclesiis suis absentes, aut officio minus recte fungentes, cessiones & translationes Episcoporum longo usu Pontifici videntur reservasse. Nova disciplina tempore Gratiani satis erat confirmata. Et hinc fictam Anteri Decretalem, quæ Episcoporum transferendorum potestatem Episcopis integram relinquit, cum hac lacinia in decretum transtulit suum, *non tamen sine sacrosanctæ sedis Romanæ auctoritate & licentia* (*d*), quod ipsi adnotant Romani correctores. Novo huic juri vim addidit Innocentius III. duabus præsertim Decretalibus, quibus jure divino depositiones, cessiones & translationes Episcoporum Pontifici reservatas contendit (*e*), idque quia ex antiquitate & decretis Patrum constat, Christum sibi & vicariis suis speciali privilegio Episcopos transferendi reservasse potestatem, & quod Ecclesiam inter & Episcopum sit spirituale conjugium, divina tantum auctoritate, qua in terris funguntur Pontifices, non secus ac carnale, dissolvendum. Benigna interpretatione

ra-

(*a*) Conc. Antioch. Can. cit.
(*b*) V. sup. cap. 21. §. 6.
(*c*) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 62. n. 3. & seq.
(*d*) Can. XXXIV. c. 7. q. 1.
(*e*) Cap. II. & III. ext. de Transl. Episc.

rationes istas Innocentianas oportet emollire: nam ex antiquitate non constat, Pontificibus depositiones, cessiones & translationes Episcoporum esse reservatas: & porro si à carnali conjugio de spirituali inter Episcopum & Ecclesiam judicandum, vix est, ut Pontificis auctoritate decerni possunt cessiones & translationes Episcoporum; nullo enim tempore vel Ecclesia, vel Pontifices jure connubium carnale ratum & consummatum irritarunt (*a*). Nec fere veteres à vinculo spiritualis conjugii translationum prohibitionem repetebant, sed potius ab avaritia & ambitione Episcoporum, qui sedes ditiores & ampliores appetebant (*b*).

CAPUT XXIX.

De ordinationibus invalidis.

Defectu conditionum juris divini nulla est ordinatio.

§. I. In ordinationis sacræ ritu, ut & in reliquis Sacramentis, quædam divinæ institutioni debentur, alia vero ab Ecclesia inducta sunt, ut rectus ordo servetur, & eo melius & augustius sacer ritus explicetur. Ita divinæ institutionis est, ut ordinans ordinandi sit donatus potestate, ut ordinatus capax sit ordinationis, & ut cæremonia per manuum impositionem, & ei respondentem vocis imprecationem compleatur. Uno eorum, quæ divini juris sunt, omisso, ordinationem vitiari, & omnino nullam esse, in compertis est, deficeret enim ita propria & naturalis rei sacræ constitutio. Et mira profecto est ordinatio Gregorii Thaumaturgi, quem ad evitandam ordinationem absentem Phædimus, Ecclesiæ Amasæensium Episcopus, solis precibus sine manuum impositione Neocæsariensem Episcopum creavit, & nihilominus postea ille munus suscepit, ut Gregorius Nyssenus narrat (*c*). Sed probabile est, inde Thaumaturgum divinæ vocationi cessisse, & usitato Ecclesiæ ritu fuisse consecratum, quæ Cavei est conjectura (*d*), divinæ institutioni & Ecclesiæ moribus conformis. Et si Innocentius III. & Gregorius IX. docent, non iterandam esse ordinationem, si desit manuum impositio, *sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum* (*e*), non eorum mens fuit, validam esse sine impositione manuum ordinationem, sed potius voluisse videntur, accessorias cæremonias rite adhibitas non esse iterandas, quando omissa adhibetur manuum impositio; & è contrario necessarios ritus nonrepeti, dum omissi minus necessarii ritus adhibentur.

(*d*) Confer. Espen. part. 1. tit. 15. cap. 4. n. 18.
(*b*) Conc. Sardic. Can. II.
(*c*) Vita Greg. Thaum.
(*d*) Hist. litter. vol. 1.
(*e*) Cap. I. & III. de Sacram. non iterandis.

Sententia Morini, quæ ordinationes contra Canones nullas facit, ex Canonibus probatur.

§. II. Sed an etiam ea, quæ tanquam cumulus Ecclesiæ auctoritate accesserunt ordinationi, ita ad vim ejus pertineant, ut iis prætermissis ordinatio invalida habeatur, res satis est perplexa & intricata. Primi scholastici mire abierunt in diversa, eamque quæstionem magister sententiarum *perplexam ac pæne insolubilem* appellat (*a*). Ex modernioribus eruditis Jo. Morinus magno argumentorum apparatu ordinationes contra Canones celebratas omnino irritas & nullas in veteri disciplina fuisse contendit (*b*): quam eandem opinionem Florens (*c*), Espenius (*d*) aliique viri docti, quibus Zonaras & Balsamon præluserunt, admittunt. Contra Hallierius (*e*), Christianus Lupus (*f*) & passim alii etiam in veteri disciplina tales ordinationes validas, sed illicitas & effectu vacuas fuisse affirmant. Paucis utriusque sententiæ præcipua fundamenta referam. Primæ opinioni præsidium arcessunt à Canonibus, Patribus & praxi Ecclesiæ, quæ ordinationes contra Canones celebratas passim iteravit. Et Canones Nicæni & Sardicenses ordinationes ab alienis Episcopis peractas (*g*), Antiocheni ordinationes in alienis paræciis (*h*), & Chalcedonenses (*i*) ordinaciones absolutas ἄκυρους *irritas* pronunciant. Canones itidem Nicæni Episcopum sine scientia metropolitæ ordinatum *Episcopum non esse* decernunt (*k*). Et, ut multa alia mittam, Canones Constantinopolitani Maximi Cynici intrusi sic transfigunt ordinationem, ut diserte eam ab initio nullam pronunciare videantur, asserunt enim *neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati* (*l*). Hæ omnes dicendi formulæ non meram muneris interdictionem, sed quid amplius videntur sonare, nempe ordinationes ab initio nullas & irritas fuisse reputatas. Formula enim *Episcopum non esse, vel fuisse* vim ipsam ordinationis videtur afficere, & ordinationem ἄκυρον Zonaras, Balsamon & Harmenopolus ab initio nullam interpretantur: consentiuntque Latini, qui ordinationes absolutas *vanas*, *inanes* & *irritas* pronunciant (*m*).

Ea-

(*a*) Magist. lib. 4. dist. 25.
(*b*) Morin. de SS. ordinat. part. III. exercit. 5.
(*c*) Florens tract. de Præbend. & Dignit.
(*d*) Espen. not. in Can. VI. Chalced.
(*e*) Hallier. de Sacr. elect. & ordin. part. 3. sect. V. cap. 5.
(*f*) Dis. de Simon. crimine cap. 16. & seq.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. XVI Conc. Sard. Can. XV.
(*h*) Conc. Antioch. Can. XXII.
(*i*) Conc. Chalced. Can. VI.
(*k*) Conc. Nicæn. Can. IV.
(*l*) Conc. Constant. Can. III.
(*m*) Leo M. ep. XCII. ad Rust. cap. 1., Can. II. D. 70.

Eadem sententia ex Patribus probatur.

§. III. Sacris Canonibus addunt Ecclesiæ Patres, in primis Romanos Pontifices, qui ab initio nullas facere videntur ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis, simoniacis, depositis & intrusis Episcopis celebratas ordinationes. Principio Innocentius I. de ordinatis à Bonoso hæretico ejusque asseclis scribit, eos damnationem non honorem accepisse, quia nihil in dantibus erat, quod illi poterant accipere: cujus sententiæ etiam erant Rufus aliique Macedoniæ Episcopi (*a*). Et Gregorius M. se *consecrationem nullo modo dicere posse* profitetur, *quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata* (*b*). Fortius transfigunt Patres simoniacas ordinationes. Affirmat Ambrosius, Episcopos simoniacos manibus impositis *lepram* dare (*c*): & Leo M. non Spiritum Sanctum, quem non habent, sed *spiritum mendacii* tribuere (*d*). Et secundum Gregorium M. qui sacrum ordinem mercari studet, *Sacerdos non est, sed dici tantummodo inaniter concupiscit* (*e*). Generatim vero Damasus Papa, seu quisquis sit auctor epistolæ de chorepiscopis ad omnes Episcopos, de illicitis ordinationibus scribit (*f*): *Reiterari necesse est, quod legitime actum, aut collatum minime probatur: nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitime non habuit, invenire non possum.* Et Urbanus II. Sacramenta ab hæreticis & schismaticis collata, præter baptismum, quem validum dicit, secundum sanctorum Patrum traditionem *formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum* habere profitetur (*g*), hoc est externam tantum Sacramentorum imaginem præseferre, interna vero vi omnino destitui: quam esse hujus loci sententiam baptismi oppositio satis superque manifestat.

Et demum probatur ab Ecclesiæ praxi.

§. IV. Ab Ecclesiæ demum praxi, quæ ordinatos contra Canones resacrabat, probant, antiquam Ecclesiam nullas habuisse contra Canones celebratas ordinationes. Unus ex Canonibus apostolicis Presbyterum & Diaconum reordinari vetans, hanc addit exceptionem, *nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat* (*h*). Et de ordinatis in Ægypto à Meletio Episcopo schismatico statuit Concilium Nicænum, ut ad nullum in Ecclesia catholica ministerium admittantur, nisi prius μυστικωτέρα χειροτονία βεβαιωθέντες, *sanctiore or-*

(*a*) Can. XVIII. c. 1. q. 1.
(*b*) Can. 1 c. 9. q. 1.
(*c*) Can. XIV. c 1. q. 1.
(*d*) Can. I. eod.
(*e*) Can. II eod.
(*f*) Can. XXV. c. 1. q. 7.
(*g*) Epist. ad Petr. Pistoriens. & Rustic.
(*h*) Can Apost. Can. LXVII.

ordinatione confirmati (*a*): quæ sanctior ordinatio non manuum impositio fuit reconciliatoria, sed vera ordinatio, quod recte Valesius & Dupinus observarunt (*b*): etenim Theodorus Episcopus urbis Oxyrinchi, decreto Nicæno morem gesturus, Presbyteros Meletianos ad Ecclesiam redeuntes iterum ordinabat. Similiter de Presbyteris Arianis ad Ecclesiam catholicam conversis statuit Concilium Cæsaraugustanum II., ut si probatæ vitæ fuerint, *accepta denuo benedictione Presbyteri*, ad sacrum ministerium admittantur (*c*). Porro ab intruso Pontifice Constantino, & à Formoso Pontifice, quasi qui non secundum Canones à Portuensi Ecclesia transiit in Romanam, ordinati secundam pro iisdem gradibus acceperunt ordinationem. Et teste Petro Damiano *nonus Leo Papa plerosque simoniacos & male promotos tanquam noviter ordinavit* (*d*). In primis vero celebre est Urbani II. factum, qui Diambertum à Wecilone schismatico & simoniaco Episcopo in Diaconum benedictum reordinavit: quumque ea de re offensi essent Petrus Pistoriensis Episcopus, & Rusticus Abbas Vallisumbrosæ auctoritate Damasi & Innocentii Pontificum factum purgavit suum, addiditque: *Quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem, quoniam* Wecilo, *qui nihil habuit, nihil dare potuit* (*e*). Fuerunt quidem in multis ex recensitis aliisque speciebus magna sententiarum divortia, dum alii validas asserebant ordinationes, alii eas acriter impugnabant, & repetebant; sed, si vera observat Morinus, de facto, non de jure erant controversiæ. Conveniebant nempe irritas omnino esse contra Canones habitas ordinationes, sed in eo contendebant, num hæc aut illa ordinatio contra Canones esset; stantibusque de facto controversiis, quæ erant præjudiciales, in juris quæstione etiam non conveniebant, quod vario inniterentur fundamento, aliis ex. gr., jure, aliis contra Canones Formosum translatum sentientibus.

Contrariæ sententiæ rationes.

§. V. Nec minus firmis fundamentis sustinent Hallierus, Christianus Lupus aliique ordinationes contra Canones celebratas validas fuisse, sed dici à veteribus *irritas*, *vacuas*, *vanas*: non quod ab initio nullæ essent, sed quod in pœnam usu interdicerentur. In primis potestas dandorum ordinum spirituali adhæret signaculo, quod semel in anima suscipientis per ordinationem relictum semper durat, nec hæresi, depositione aut quocunque alio crimine deperditur: ac ita quum spirituale ordinationis signaculum semper vigeat,

(*a*) Epist. Synod. apud Socrat. lib. 1. cap. 9.
(*b*) Vales. not. in Theodor. lib. 1. cap. 9., Dupin. Biblioth. cent. 4.
(*c*) Conc. Cæsaraugust. II. Can. I.
(*d*) Petr. Damian. in Opusc. de suis actis ap. Meajolan.
(*e*) Can. XXIV. c. 1. q. 7.

geat, necesse est veros esse ordines, qui à malis ministris contra receptas regulas conferuntur. Certe hoc nomine Augustinus docet, Episcopos ordinatos in schismate Donati veros esse Episcopos, idque quia *invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati* (*a*). Porro nec à fide & bonitate conferentis repetendus est valor & efficacia Sacramentorum, sed ab Ecclesiæ fide, & præsertim à Christi instituentis & principaliter conferentis sanctitate & potestate, quæ influit in Sacramenta, & inde instar puri fluvii etiam per lapideos canales derivatur (*b*). Antiquis quoque constat monumentis eos, qui illicita manuum impositione caput habebant vulneratum, ab Ecclesia in suis honoribus sine nova ordinatione receptos. Ut ecce statuit Concilium Ephesinum de Messalianis Clericis, ut si ad Ecclesiam reddirent, damnatis in scriptis erroribus, in suis ordinibus recipiantur (*c*). Et in Africa admittebantur ordinationes Donatistarum, quo casu eorum Clerici ad Ecclesiæ reddirent unitatem: & ita in eodem gradu, quo fuerant apud Donatistas, in catholica recipiebantur Ecclesia (*d*). Graviter quoque Gregorius M. Joannem Ravennatem admonuit, ne in Histrio schismate ordinatos reordinaret, quod *qui consecratus est semel, in eodem ordine iterum non debet consecrari* (*e*). Et, ut alia multa mittam, Synodus septima generalis Basilium Ancyræ, Theodorum Myron & Theodosium Amorii Episcopum hæresim, quam docuerant, execrantes suis restituit ordinibus, quamvis in ea nati & ordinati fuissent (*f*).

Varia fuit disciplina de ordinationibus contra Canones.

§. VI. Atque hæc sunt adversantium partium momenta, quibus persuadere conantur, antiquam Ecclesiam ordinationes contra Canones celebratas vel omnino nullas ab initio reputasse, vel eas validas, sed effectu vacuas, habuisse. Vix est, ut ad alterutras partes concedere possimus, adeo manifesta utrinque proferuntur argumenta. Omnibus expensis illud videtur posse dici, antiquam Ecclesiam pro varietate locorum, temporum, personarum variam fovisse disciplinam, quod ex ipsis Canonibus constare potest. Sane Canones Antiocheni ordinationes ab Episcopis extra propriam paroeciam celebratas *irritas* pronunciant (*g*); contra apostolici & ordinantes & ordinatos deponi jubent (*h*). Scilicet ad politiam ordinandam & ad ordinem promovendum integrum Ecclesiæ esse Patres

(*a*) August. serm. de Gest. cum Emerito.
(*b*) Can. XXX. c. 1. q 1.
(*c*) Conc Ephes. act. 7.
(*d*) Cod. Afric. Can. LXVIII.
(*e*) Lib. 2. ep. XXXII.
(*f*) Conc. VII. act. 1.
(*g*) Conc. Antioch. Can. XXII.
(*h*) Can. apost. XXXV.

tres reputabant, ordinationibus cæterisque Sacramentis certas apponere conditiones, quæ ad eorum pertinerent validitatem: quæ sententia quamvis diserte apud antiquos non reperiatur, tamen ex eorum praxi aperte colligitur, & hodie inter doctiores theologos & canonistas est communis. Conditiones istæ integrantes ordinationibus additæ virtutem indelebilis characteris, quæ subjecta erat Ecclesiæ potestati, limitabant, eamque in certis casibus ab Ecclesia expressis inefficacem reddebant; & porro virtutem à Christo Sacramentis indutam non frustrabantur, nec institutis humanis addicebant, sed potius ea faciebant augustiora, & methodum, qua in Ecclesia salutem cederent, præscribebant. Pendebat autem ab Ecclesiæ sapienti consilio statuere, quæ conditiones irritarent, quæ vero tantum illicitas redderent ordinationes: quinimo integrantes additas conditiones ita moderari, ut quandiu eas servatas vellet, ordinationes nullæ essent; contra vero valerent, si pro bono pacis & animarum salute remittendum rigorem Ecclesia judicaret.

Hodie valet ordinatio contra Canones celebrata.

§. VII. Sed tandem varietas illa disciplinæ & opinionum sublata fuit, cœpitque constans fere omnium sententia, valere in forma Ecclesiæ celebratas ordinationes, quamvis alias Canones repugnarent. Sæculo XI. quo in Occidente maxime increbuerat simonia, acerrime disputatum est de validitate ordinum à simoniacis gratis collatorum, &, teste Petro Damiano, in tribus Romanis Conciliis nihil ea de re dogmatice statutum fuit (*a*). Ergo dubia tum inter Pontifices, tum inter privatos scriptores perstitere. Primi scholastici de validitate ordinum ab hæreticis, schismaticis, simoniacis & excommunicatis Episcopis datorum abierunt in diversa, refertque ea de re Petrus Lombardus quatuor diversas opiniones: ipse vero videtur à damnatis hæreticis & manifestis simoniacis datos ordines omnino irritos habere (*b*): cujus opinionis fuerunt etiam Petrus Pictaviensis, Præpositivus, Hugo à S. Victore & ipse Gratianus (*c*). Sed tandem tempore B. Thomæ fluctus compositi, & unanimi fere scholasticorum sententia & usu Ecclesiæ receptum, canonicas ordinationum solemnitates ad ordinationis valorem non spectare. Cujus opinionis fundus præsertim fuit vis indelebilis characteris ab Augustino inculcati, ut quacunque culpa amitti non possit (*d*). Et ita antiqui Canones, qui ordinationes *infirmas*, *vacuas* & *irritas* pronunciabant, eo sensu accepti sunt, quasi infirmas effectu eas dicerent, non omnino irritas facerent. Interim vero præsens Ecclesiæ usus, qui solemnia ordinationum ab antiquis Canoni-

(*a*) Petr. Damian. opusc. 6.
(*b*) Petrus Lombardus lib. 4. D. 25.
(*c*) Grat. post Can. XLV. & LXXIV. c. 2. q. 2.
(*d*) Can. XCVII. eod.

nibus statuta ad earum validitatem non refert, videtur conditiones ecclesiasticas, quæ usu ad materiam & formam acceserunt, quales sunt traditiones instrumentorum & formulæ indicativæ, ita æstimare, quasi ad vim ordinum pertineant: quam opinionem gravissimi theologi & canonistæ, in primis Morinus & Espenius admittunt (*a*); idque quod Ecclesia conditiones integrantes addere Sacramentis potest, quibus non servatis Sacramenta non substant.

CAPUT XXX.

De sanctitate & virtutibus Clericorum.

Scriptores de virtutibus Clericorum.

§. I. Sacras ordinationes earumque effectus hactenus recensuimus: dicendum nunc de Clericorum officiis, quæ eorum vitam spectant & morum sanctitatem. Etenim non satis est quemlibet Clericum sui ordinis merum munus explicare, sed etiam necesse est, ut gradu suo dignam ducat vitam, & iis se abstineat, quæ notam aliquam sacerdotio inurunt, vel à sacro ministerio distrahunt. Longe distat sacerdotium à plerisque manuariis opificiis, quæ plerumque usu præceptorum artis continentur, nec aliquid à morali opificum vita mutuantur; nam sacerdotium requirit etiam in ministris vitæ sanctitatem, & in externis actionibus decorum. Atque hæc est vita moralis Clericorum, ad quam instituendam & formandam tot sapientissimis conditis regulis tantopere Ecclesia desudavit. Plures quoque ex veteribus scriptoribus ex instituto hoc argumentum pertractarunt, in primis Chrysostomus, qui libros sex *de Sacerdotio* scripsit: ejusdemque argumenti est Hieronymi *epistola secunda ad Nepotianum de vita Clericorum*, & Gregorii Nazianzeni *Apologeticus*. Alii vero ipsas regulas usu & exercitatione expressas exhibuerunt, vitas scribentes sapientissimorum Episcoporum, quales vita Ignatii à Chrysostomo conscripta, vita Basilii & Athanasii à Gregorio Nazianzeno, vita Gregorii Thaumaturgi & Meletii à Gregorio Nysseno, & vita Augustini conscripta à Possidonio. Optandum esset ut Clerici ejusmodi archetypa inspicerent, unde plus boni in eos derivatur, quam si nudas & simplices regulas legant. Plura eaque egregia hanc in rem collegit Gratianus (*b*); sed quæ in decretalibus sub titulo *de Vita & honestate Clericorum* continentur, potius Canonicorum externum decorum, quam internam vitæ sanctitatem spectant.

Cle-

(*a*) Morin. de Sacr. ord. part. 3. exercit. 7. cap. 6. n. 2., Espen. part. 2. tit. 9. cap. 1. n. 15.
(*b*) D. XXXII. & seq.

Clerici debent esse sancti.

§. II. Vita Clericorum sic debet esse comparata, ut omnino sancta sit, & in omnibus actionibus nihil, nisi sanctum & honestum, exhibeat. Tale quidem est ecclesiasticum ministerium, ut in ministrantibus angelicam requirat puritatem. Et quid quæso sanctius & augustius dici potest, quam cum Christo sacerdotio fungi? *Sacerdotium*, inquit Chrysostomus (*a*), *in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est.... Idcirco necesse est, Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret.* Deinde necessitas exempli, quo aliis in instituenda vita Sacerdotes debent prælucere, summam postulat morum puritatem; recteque observatum à Nazianzeno, Antistitum improbitatem facilius subditorum animos occupare, quam pestem per aerem diffundi (*b*). Boni exempli vim ipse vidit Julianus apostata, qui incrementa christianismi à bonis christianorum moribus & exemplis esse animadvertens, ad ethnicam sustinendam superstitionem Arsacio Galatiæ summo Pontifici summopere commendat puram & sanctam Flaminum conversationem, tantum non christianos Antistites imitari præscribens (*c*). Porro quî possunt Sacerdotes vitiorum censuram instituere, nisi ipsi, quæ in aliis culpant, non admittant? *Quum talem se præstiterit*, inquit Chrysostomus (*d*), *ut à nemine reprehendi possit, tum poterit cum quanta voluerit libertate, subditorum suorum delicta alias castigare, alias remittere.* Paucis. Vita Clericorum esse debet aliorum eruditio, & assidua salutis prædicatio.

Et ita quocumque crimine cadebant sacerdotio.

§. III. Quando igitur eximiam animi puritatem requirit sacerdotium, sic Clericos vivere oportet, ut nunquam crimen aliquod admittant. Clerici criminosi eo ipso quo amittebant sanctitatem, cadebant sacerdotio. *Criminis* autem nomine tantum graviora delicta veniebant. Nempe sicut crimen in vita laicali admissum arcebat ab ordinibus, ita post ordinationem admissum sacro ministerio dejiciebat, quod antiqui omnes Canones statuunt, & Patres nunquam non inculcant (*e*). Dejectio autem ista perpetua erat, fiebantque criminosi irrevocabiliter irregulares, adeo ut nec acta de crimine pœnitentia amissum gradum restitueret (*f*). Nec intererat num crimen publicum, an occultum esset. Ipsi Clerici propria conscientia judice seipsos deponere debebant, quemadmodum fecit Pota-

(*a*) Lib. 3. de Sacerd. cap. 4.
(*b*) Orat. 1. apol. de Fuga.
(*c*) Ap. Sozom. lib. 5. cap. 16. Confer. frag. epist. Juliani ad Arsacium.
(*d*) Lib. 5. de Sacerd. cap. 3.
(*e*) Can. Apost. LXI., Basil. ep. can. cap. 3., Greg. M. lib. 4. ep. XVII.
(*f*) Can. I. IX. XXV. D. 50., Espen. de Instit. canonic. part. 2. cap. 2.

tamius Episcopus Bracarensis (*a*). Sane tantum abest ut Canones qui Clericos criminosos gradu suo dejiciunt, inter publica & occulta crimina distinguant, ut potius utraque comprehendant. *De Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis*, inquit Urbanus II. (*b*), *qui post acceptum ordinem in aliquod crimen lapsi fuerunt, sive palam, sive clam, constat quidem Canonum sensum ab ecclesiasticis eos officiis inhiberi.* Itaque criminosi Clerici gradu suo dejecti, inde ut laici vivebant, & ut laici in sacris communicabant: quam Clericorum pœnam *communionem laicam* veteres dicebant (*c*). Satis videbatur ad criminis à Clericis patrati vindictam à munere dejectio, nec alia pœna infligebatur, ne bis idipsum vindicarent: quam disciplinam apostolici, Basilii & Petri Alexandrini Canones proponunt (*d*): quamvis aliquando depositioni accedebat excommunicatio (*e*). Interim generalis istius regulæ, quæ criminosos omnes à Canone dejiciebat, quasdam antiqua monumenta exhibent exceptiones, idque in iis præsertim casibus quando in Ecclesiæ bonum benignior cedebat disciplina. Et vero lapsi, hæretici, schismatici nonnunquam blandius tractati sunt, & in suis gradibus fuerunt restituti, ubi Ecclesia è re sua futurum judicavit, singularem in eos indulgentiam exhibere.

Hodie fere publica crimina faciunt irregulares.

§. IV. Per undecim plus minus sæcula criminosos omnes etiam occultos Ecclesia dejecit clericatu, sed inde mutata est disciplina, passimque receptum ut publici criminosi fere soli essent irregulares, occulti vero post pœnitentiam suo restituantur ministerio. Occasionem distinguendi in hac causa inter publica & occulta crimina præbuerunt falsæ decretales, in quibus sub nomine Calixti, Gregorii M. & Isidori Hispalensis veluti ex Canonum præceptis inculcatur, lapsos post pœnitentiam ordinibus suis restituendos (*f*). Palam putidæ istæ merces cum sacris Canonibus de nunquam restituendis ad ministerium Clericis lapsis pugnabant. Ergo ad pugnæ conciliationem primi Hincmarus Rhemensis & Rabanus Maurus distinctionem inter publica & occulta crimina excogitarunt; ita nempe ut illa semel admissa secundum Canones perpetuum ab altari arcerent, hæc vero post pœnitentiam restitutioni ad ministerium non obstarent. Nec sane erat ut aliter ejus ætatis scriptores possent nodum extricare, quando de genuitate falsarum decretalium non dubitabant. Excogitatam distinctionem usu statim non recepit Ecclesia. Constat enim sæculo undecimo adhuc ab altaris ministerio Clericos, qui clam deliquissent, dejectos. Benignior disciplina invaluit post Gratianum, non aliquo positivo Ecclesiæ decreto, sed usu ipso & assiduis indulgentiis in tanta Clericorum peccantium multitudine à Pontificibus concessis, & vero etiam auctoritate ipsius Gratiani, qui ad Canones & falsas decretales decreto suo insertos conciliandos, excogitatam inter publica & occulta crimina distinctionem adhibuit & probavit (*a*). Magni nempe fiebat Gratianus, ejusque decisiones tanquam ex tripode receptæ. Interim superest aliquid ex antiquis moribus, nam etiam hodie dantur occulta quædam crimina, quæ inurunt irregularitatem, veluti homicidium voluntarium, quod adeo pugnat cum sacerdotio, ut homicidæ etiam occulti perpetuum ordinis suscepti usu cadant, nec unquam possint ad ordines promoveri (*b*). In quibus vero occultis delictis Clerici restituuntur suorum ordinum functionibus, id post longam & salutarem sed occultam pœnitentiam vult Ecclesia faciendum, postquam nempe pristinam recuperarunt sanctitatem, ut ita semper verum sit, à sanctis sancta tractari.

(*a*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 57.
(*b*) Epist. ad Episc. Constantiens.
(*c*) Can. VII. D. 50.
(*d*) Can. Apost. XXIV., Basil. epist. can., Petr. Alex. epist. can.
(*e*) Can. Apost. XXVIII. &seq.
(*f*) Can. XIV. XVI. XXVIII. D. 50.

Clerici malis suspicionibus ne præbeant occasionem.

§. V. Porro non tantum moribus inculpatos esse Clericos oportet, verum etiam nullam aliis occasionem præbere de se male suspicandi. Non satis est illis bonam in conspectu Dei servare conscientiam, sed etiam in oculis hominum rebus honestis studere debent. Bona vita ipsis est necessaria, aliis etiam bona eorum fama. Unde Clerici sic in actionibus suis componendis cauti & circumspecti esse debent, ut eæ nulla ratione in malum torqueri possint, idque præsertim quando hominis natura veluti ad proscindendos Clericos feruntur, & actiones eorum indifferentes sæpe in malam partem interpretantur. Imitari in hac causa debent Apostolum Paulum, qui, ut observat Chrysostomus (*c*), ne furti apud discipulos suspectus esset, alios in administrandis pecuniis secum adsumsit. Et hinc statuit Concilium Carthaginiense III., ut nec Episcopi, nec Presbyteri, nec ulli alii Clerici ad virgines & viduas soli accedant, nisi aut Clerici præsentes sint, aut graves aliqui christiani (*d*). Et Hieronymus ita Clericum instituit suum: *Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.... Si propter officium clericatus, aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris* (*e*). Interim si Clerici omni adhibito studio recte actiones componant suas, & tamen, quæ est innata hominum im-

(*a*) Grat. post Can. XXIII. D. 50.
(*b*) Trid. sess. XIV. de Ref. cap. 7.
(*c*) De Sacerd. lib. 6. cap. 9.
(*d*) Conc. Carthag. III. Can. XXV.
(*e*) Epist. II. ad Nepot.

improbitas, alii etiam male opinentur, in hac specie, contemptis sinistris opinionibus, *adsit conscientiæ solatium planeque etiam gaudium*, inquit Augustinus (*a*), *quod merces nostra magna est in cœlis.* Et ut conscientiæ solatium plane sit cumulatius, Clerici recordentur, etiam ipsam innocentiam & divinam Jesuchristi conversationem non effugisse aliorum maledicta.

Feminæ subintroductæ *earumque origo.*

§. VI. Sinistris opinionibus ingentem materiam feminæ συνεισάκτοι *subintroductæ* per plura sæcula suppeditarunt. Erant *subintroductæ* neque uxores, neque concubinæ, sed tertii generis mulieres, quas secum Clerici non sobolis, nec libidinis gratia, sed pietatis studio, aut certe prætextu, fovebant (*b*). Passim in antiquis monumentis subintroductæ dicuntur etiam *agapetæ* & *sorores*, à dilectione nempe sororii consortii, in quod plerumque ex virginibus aut viduis Ecclesiæ adscribebantur. Inde usque à primis sæculis cœpit usus agapetarum, & sub finem secundi sæculi adhuc innocens erat consuetudo, nullis sinistris opinionibus obnoxia. Certe Tertullianus pro secundis nuptiis, quas damnabat, auctor est viris uxoribus destitutis & consortes onerum necessarias reputantibus, ut spiritualia ineant matrimonia, & viduam ætate signatam sibi adjungant (*c*). Videntur in Ecclesiam inductæ agapetæ à moribus Judæorum, apud quos solemne fuit ut mulieres de substantia sua magistris ministrarent. *Consuetudinis Judaicæ fuit*, inquit Hieronymus (*d*), *nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent.* Ipsi Apostoli, exceptis Paulo & Barnaba, *mulieres sorores* circumducebant (*e*); quæ potius extraneæ videntur fuisse mulieres, studio charitatis & religionis eos comitantes, quam uxores (*f*). Iis utebantur Apostoli ad vitæ necessaria, & præsertim ad inducendum evangelium in ædium penetralia, quo facilis non erat viris accessus, quod totidem verbis Clemens Alexandrinus testatur (*g*).

Consortia agapetarum *Clericis interdicta.*

§. VII. Verum consuetudo, quæ initio turpi macula non laborabat, inde per humanam infirmitatem in pestem degeneravit, quæ de Clericis male opinandi, eosque detrahendi præbuit occasionem. Scilicet pro mulieribus ætate signatis formosas puellas cœperunt Clerici sibi in sorores adsciscere, & cum iis liberius, quam pietas

(*a*) De bono viduit. cap. 22.
(*b*) Justel. ad Can. III. Nicæn.
(*c*) Tertull. de Monog. cap. 16.
(*d*) Com. in Matth. lib. 4. cap. 27.
(*e*) 1. ad Cor. IX. 5. & seq.
(*f*) Tertull. de Monog. cap. 8.
(*g*) Lib. 3. Stromat.

tas postulabat, vivebant. Etenim eadem domo, uno cubiculo morabantur, sæpe etiam uno dormiebant lectulo, & interim alios suspiciosos vocabant, quod male cogitarent, quod ex Cypriano & Hieronymo constat (*a*). Quin ipsæ Ecclesiæ virgines sæpe sibi quærebant vel ex Clericis, vel ex laicis agapetos (*b*): & mulieres maturioris ætatis libertini generis adolescentibus delectabantur, & filios quærebant spirituales, paulatimque pudore separato ficta matrum nomina erumpebant in licentiam maritalem (*c*). Impares ad continentiam, qua Clerici, virgines & Ecclesiæ viduæ se adstringebant, inde à sancto proposito cadebant, & sub honestis nominibus velabant turpitudinem. Non omnes tamen cum agapetis turpi se maculabant consortio, at jam ista consuetudo generatim male audiebat, turpemque notam Clericis inurebat. Ergo magna Synodus Nicæna omnino Episcopis & reliquis ex clero interdixit, *subintroductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ suspicionem effugiunt* (*d*). Et Synodus Ancyrana prohibuit virgines, *quæ cum quibusdam tanquam cum fratribus congrediuntur* (*e*). Sed pestis non extincta, aut paulo post majori impetu repullulavit, idque quo Clericorum continentia post Concilium Nicænum magis invalescebat, ut constat ex quarti & quinti sæculi frequentibus Patrum querelis & ex Conciliis per ea tempora celebratis, quæ severe Clericis interdicunt secum extraneas habere mulieres (*f*). Ipsa etiam lex civilis vetuit dedecorari Clericos consortio sororiæ appellationis, tantumque iis permittit matres, filias, atque germanas in domibus fovere (*g*). Quin prolapsis in pejus Clericorum moribus Concilium Moguntinum anno ɪɔccɔxii. etiam iis interdixit, secum habere matrem, amitam, sororem, quas antiqui Canones permittebant: quia instigante diabolo in illis, aut saltem in earum pedissequis scelus constat admissum (*h*). Præter cæteros *de agapetis* egregiam dissertationem scripsit Muratorius, quam *anecdotis Græcis* inseruit.

Clerici aleis *debent abstinere.*

§. VIII. Integra vita, etiam á suspicionibus pura, qua Clerici Christiani omnibus debent prælucere, omnino facit, ut ii vitia quædam fugiant & declinent, quæ criminum sunt seminaria fœcundissima. Tale in primis (I) est *alea*, cujus nomine veniunt ludi omnes, qui ab ancipiti fortunæ pendent eventu, quale sunt jactus talorum & tesserarum, & hujus generis alia. Et hinc *aleam* pro ip-

(*a*) Cyprianus epist. LXII. al. IV., Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 5.
(*b*) Cyprian. loc. cit., Nazianz. Carm. de præceptis virgin., Hieron. loc. cit.
(*c*) Hieronym. epist. IV. ad Rust. cap. 2.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. III.
(*e*) Conc. Ancyr. Can. XIX.
(*f*) Conc. Carthag. III. Can. XVII., Conc. Arelat. II. Can. III.
(*g*) L. XIX. C. de Episc. & Cleric.
(*h*) Cap. 1. ext. de Cohabit. Cleric. & mulier.

ipsis dubiis casibus sæpe Latini usurpant. Alea origine sua non videtur interdicta, quod post alios Petrus Pantoja recte observat (*a*); at tot & talia sunt mala, quæ inde dimanant, ut nihil ea deterius potuerit inveniri. Inde contumeliosa in res divinas dicta, jurandi cacoethes, iracundia, mendacia, imprecationes, avaritia, fraudes, jurgia, dispendia, temporis & familiarum ruinæ. Unde optimi quique legislatores aleam omnino vetuerunt, in primis Justinianus, qui contractus omnes in ludo celebratos irritos reddidit, actionem ad persequendum lucrum victori denegavit, victoque solutæ pecuniæ dedit repetitionem (*b*). Et Concilium Illiberitanum fidelem omnem, qui alea, hoc est tabula luserit, à communione jubet abstinere, nec, nisi post anni pœnitentiam, si emendatus cessaverit, iterum ad communionem admittit (*c*). Multo magis Clerici, quorum vita continua debet esse virtutis prædicatio, ab aleis debent abstinere. Et hinc merito apostolici Canones eos aleis vacantes edicunt deponendos (*d*). Et Justinianus Clericos ad tabulam ludentes, aut alios ludentes inspectantes, trium annorum spatio à sacro ministerio arceri præcipit, & interim in monasteriis in pœnitentiam includi (*e*).

Clerici ebrietatibus non vacent.

§. IX. Nec minus (II) fœcundum criminum seminarium est ebrietas. Sane ebrietas mentem alienat, & ad libidines impellit, quod passim inculcant sapientes (*f*). Unde fit ut omnes, & multo magis Clerici à crapula & ebrietatibus debeant abstinere. Sic dicti apostolici Canones Clericos ebrietatibus vacantes deponi jubent (*g*). Et Concilium Agathense Clericos ebrios, prout ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione submovet, aut supplicio subdit corporali (*h*). Mediis sæculis, auctis Ecclesiarum redditibus, creverunt in Clericis ebrietates, cœperuntque, non secus ac laici, potibus & calicibus certare, ita nempe ut ille victor discederet, qui plures inebriabat, & calices exhauriebat fœcundiores, quem morem una cum crapula & ebrietate, nisi Clerici commoniti satisfaciant, interdictione officii, vel beneficii in Concilio generali Innocentius III. emendavit (*i*). Inde Clerici etiam vetantur tabernas intrare nisi forte necessitatis causa in itinere constituti (*k*), eoque etiam

(*a*) Comm. in L. fin. C. de Aleat. in thesauro Ottonis tom. 4.
(*b*) L. fin. C. de Aleat.
(*c*) Conc. Illiber. Can. LXXIX.
(*d*) Can. apost. XLI.
(*e*) Novel. CXXIII. cap. 10.
(*f*) Proverb. XX. 1. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian.
(*g*) Can. apost. XLI.
(*h*) Can. IX. D. 35.
(*i*) Cap. 14. ext. de Vit. & honest. Cler.
(*k*) Can. II. & IV. D. 44. cap. 15. ext. eod.

etiam spectant Canones, qui interdicunt, ne Clerici conviviis occupentur, aut de symbolis edant (*a*).

Ne intersint theatris & spectaculis.

§. X. Porro (III) etiam à scenicis ludis & spectaculis alieno animo esse Clericos oportet, iisque vetantur superesse. Erant theatra apud ethnicos Veneris templa (*b*) & idolatriæ plena: spectacula generatim turpitudine non vacabant; illa vero, in quibus Imperatores belluas & gladiatores exhibebant, immanitate redundabant, quod sanguis humanus effundebatur, & tamen Romani inde summam capiebant voluptatem. Hinc sub ethnicis Principibus interdictum Christianis vel theatris interesse, vel in arena belluas & gladiatores inspectare (*c*). Theatra & spectacula præcipua pars erant pomparum Satanæ, quibus in baptismo credebantur renuntiasse. Sub Imperatoribus christianis purgata quidem ab idololatria fuerunt theatra, at levitatem & ad peccandum illecebras retinuerunt: & quæ superfuerunt spectacula cum innocentia & castis moribus non bene conveniebant. Unde Patres, in primis Chrysostomus, Cyrillus & Salvianus adversus theatra & equorum spectacula invehuntur, Christianosque omnes ad ea fugienda seriis admonitionibus adhortantur (*d*). Potiori ergo jure vocationi Clericorum theatra & spectacula non conveniunt, legesque ipsæ civiles ab ejusmodi insan[illegible] Clericos arcent. Sane Justinianus Clericos aleis ludentes, & theatris & spectaculis superstites à metropolitis vel Episcopis à sacra liturgia jubet separari, & canonicam infligi pœnitentiam; deponi vero & curiæ cum suis facultatibus deservituros tradi, si post excommunicationem in vitiis perseverare apparuerit (*e*). Mediis sæculis in tanta morum corruptione eo ventum, ut etiam in Ecclesiis ludi fierent theatrales, & ei insaniæ in quibusdam anni festivitatibus ipsi Clerici inservirent. Unde Innocentius III. tantam turpitudinem à domo Dei procul esse jussit, Clericos à ludibriis abstinere (*f*). Et generaliter in Concilio generali statuit, ut Clerici *mimis, joculatoribus & histrionibus non intendant* (*g*).

Clerici debent esse hospitales.

§. XI. Jam ad vitæ sanctitatem addere Clericos oportet virtutum omnium apparatum, ut ita per omnia, quemadmodum requirit vocatio, ornati & perfecti sint. Nec sane fieri potest, ut officio suo recte fungantur Sacerdotes, nisi omnibus virtutibus instruc-

(*a*) Can. V. & X. eod.
(*b*) Tertull. de Spect. cap. 10. Cypr. ad Donatum.
(*c*) Athenag. Leg. pro Christ., Minuc. Felix in Octavio cap. 30. Lactant. lib. 6. c. 20.
(*d*) Chrysost. hom. VI. in Matth., & hom. XV. ad popul. Antioch., Cyril. Catech. myst. 1. n. 4., Salvian. de Provid. lib. 6.
(*e*) L. XXXIV. C. de Episc. aud.
(*f*) Cap. 12. ext. de Vita & honest. Cleric.
(*g*) Cap. 15. ext. eod.

tructi, quibus non solum exemplum imitandum aliis præbeant, verum etiam aliorum necessitatibus provideant, & apta morbis adhibeant medicamenta. In primis ergo (I) Episcopi & reliqui Sacerdotes debent esse hospitales, & ita cupidi sint, amantesque hospitum & peregrinorum, ut illos domo excipiant, tractent, foveant, ac multo magis qui vicinis civibusque suis indigentibus benigne facere velint. *Gloria Episcopi*, inquit Hieronymus (*a*), *pauperum opibus providere: ignominia omnium Sacerdotum, propriis studere divitiis.* Et hinc Nepotiano & hoc etiam præscribit: *Mensula tua pauperes & peregrinos suscipiat, & cum ipsis Christus conviva erit.* Et Chrysostomus Flaviani Episcopi sui domum ita depingit, ut nescias cujus sit, ejus an pauperum & peregrinorum (*b*). Adeo in hospitalitate Flavianus excellebat.

Et in sermonibus pudici.

§. XII. Porro (II) Episcopi & reliqui ex Clero in omnibus τὸ πρέπον, *decorum*, servent, oportet. Speciatim decorum observandum in gestibus, sermonibus & omni vita exteriori. Et quod spectat ad gestus & sermones, ii debent esse viro gravi digni, ne quid vani, intemperantis, licentiosi præ se ferant. Nefas profecto est, eos, qui regimen linguæ alios docere debent, & labia, unde sancta procedunt eloquia, profanis & licentiosis sermonibus conspurcari. Unde Patres Carthaginenses Clericum scurrilem, & verbis turpibus jocularem officio dejiciunt (*c*), inter epulas vero cantantem excommunicant (*d*). Ipse Julianus apostata etiam in ethnicis Sacerdotibus agnovit linguæ pudicæ necessitatem. Et hinc nihil turpe dicere, vel audire eos debere, & procul ab eis facessere illiberales jocos & petulans omne colloquium edixit (*e*). Speciatim vero Clerici ab aliis detrahendis debent abstinere, quin crimen ipsis est alios audire detrahentes, rejicitque Hieronymus etiam eam excusationem, qua referentibus aliis injuriam facere non possumus. *Nemo*, inquit (*f*), *invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt, non libenter audire, non facile detrahere.* Ad linguæ quoque castitatem liceat referre mandatum ab Apostolo datum, quod Episcopum μὴ πλήκτην *non percussorem* esse oporteat. Scilicet verbum πλήσσειν; interpretibus Hieronymo, Chrysostomo aliisque, significat etiam lingua percutere, hoc est criminosis, acerbis & contumeliosis dictis proscindere. Quo sensu percutere, tanquam decoro sacerdotali incongruum, vetitum fuit.

Et

(*a*) Epist. II. ad Nepotian.
(*b*) Chrysost. serm. 1. in Genes.
(*c*) Conc. Carthag. Can. LX.
(*d*) Conc. Carthag. IV. Can. LXII.
(*e*) Fragm. epist. Juliani ad Arsacium.
(*f*) Hieronym. epist. II. ad Nepotian.

Et vero etiam sobrii.

§. XIII. In victu quoque (III) sobrii & frugales & in vestitu modesti Episcopi & reliqui Clerici esse debent, ut necessariis tantum contenti, delitias in cibis non quærant, nec pompis in vestibus delectentur. Certe vocationi Clericorum cum mundanis pompis non bene convenit: & nefarium omnino est, Christi & pauperum patrimonium in superfluos & vanos sumptus impendi. Unde statuerunt Patres Carthaginenses, *ut Episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat* (*a*). Sic comparata est dignitas sacerdotalis, ut modestia & humilitate crescat, fastu & mundi pompis minuatur. Et quî quæso in factu & mundi delitiis crescere ea dignitas potest, cujus est verbis & exemplo mundi vanitates debellare, & earum contemptum christianis persuadere? Ipsis gentilibus frugalitate & modestia sua, non fastu & mundanis delitiis, admirationi olim fuerunt provinciales multi Antistites ab Ammiano Marcellino memorati (*b*), qui non alii videntur fuisse quam in provinciis Italiæ Episcopi constituti. Nec aliqua proferri potest causa, quæ minus sobrios & frugales aliquando Episcopos esse patiatur. Certe Hieronymus contra Episcopos graviter invectus est, qui ad excipiendos magistratus lauta parabant convivia, ut ita eos in deprecationibus pro reis faciles & benevolos invenirent. *Turpe est*, sunt verba Hieronymi (*c*), *ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare: judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod si obtenderis, te facere hæc, ut roges pro miseris atque subjectis, judex sæculi plus defert Clerico continenti, quam diviti: & magis sanctitatem tuam admirabitur, quam opes.* Interim in nulla alia re magis peccarunt & peccant Clerici, quam in hac officii pastoralis parte, quæ eos sobrios, & in vestibus externoque comitatu modestos esse jubet. Jampridem mundus intravit in Ecclesiam, cœperuntque Clerici mundanas pompas affectare, quod, prout sunt mores, etiam externo cultu putant sacerdotium indigere.

Clerici in causis Dei debent esse magnanimi.

§. XIV. Animi quoque magnitudine & zelo (IV) Clerici debent excellere, ut in causis Dei maxime pugnaces sint & fortes, quatenus tamen eorum vocatio sinit & permittit. Quum agitur de communi fide tuenda, maxime Clericis est necessaria animi magnitudo, ne communis fides in periculum veniat. Pacatos & moderatos esse Antistites profitetur Nazianzenus, at eodem teste *lenes & faciles*

esse

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. XV.
(*b*) Ammian. lib. 27.
(*c*) Epist. II. ad Nepotian.

esse non sustinet, quum per silentium & quietem Dei causa proditur; verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres & feroces (*a*). Et hinc nullis inimicorum calumniis, conviciis, blanditiis, insidiis cedere unquam debent. Multas in Athanasium calumnias commenti sunt Ariani, cum ipso communem fidem opprimere studentes. Inter cætera tanquam reus majestatis & cædis deferebatur, quibus in accusationibus adeo fuerunt versuti, ut eum in exilium Constantinus M. Treviros amandarit. Ipse vero tanto ponderi nunquam cessit, stetitque immotus in causa Dei, quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Nec minori animi magnitudine fidei inimicis Basilius restitit. In primis christiano Sacerdote digna promptitudo, qua restitit Modesto Præfecto eum ad Arianam fidem tempore Valentis adhortanti, allicienti, comminanti. Adeo fortis in hoc congressu fuit Basilius, ut ipse Præfectus in admirationem raptus pro comminatis pœnis eum cum reverentia & submissione dimiserit, dixeritque ad Valentem: *Imperator, ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus: minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditiis fortior* (*b*).

Et in explicando pastorali ministerio prudentes.

§. XV. Mansuetudine, modestia, gravitate, humilitate aliisque virtutibus debent quoque instructi esse Episcopi & reliqui ex clero; sed præsertim (V) iis prudentia est necessaria: quin Christi sacerdotium prudentia destitutum destruit potius, quam ædificat. Præcipuum Clericorum munus est spiritualis cura animarum, quæ eo difficilis habetur, quo magis variant hominum affectus, atque ita summa arte & experientia opus habent altaris ministri, ut aptam morbis animi adhibeant medicinam, variique in variis circumstantiis esse debent, prout prudentia hoc vel illo modo agendum demonstrat. Alios sermo ducit; alii exemplo componuntur. Aliis calcaribus opus est, aliis freno, prout nempe segnes, aut spiritu sunt ferventiores. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio, utraque videlicet tempestive adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio, utraque etiam pro varietate personarum vel clam, vel palam facta. Cum nonnullis ita agendum, ut videntes non videamus, irascentes non irascamur, desperantes non desperemus, contemnentes non contemnamus, quatenus tamen eorum cura id requirit. Alios vincere, ab aliis vinci plerumque utilius est. Summa hæc est prudentiæ pastoralis in moderandis animabus, quam Gregorius Nazianzenus (*c*) proponit. Verum cave putes, pastoris istam varietatem vilem esse sese accommodandi versutiam, qua fit, ut tempori serviamus. Nam nihil magis à Clericorum dis-

(*a*) Gregor. Nazianz. orat 21. de Laud. Athanas.
(*b*) Gregor. Nazianz. de Laud. Basil. orat. 20.
(*c*) Gregor. Nazianz. orat. 1. de Fuga.

distat officiis, quam importuna indulgentia & assentatio. Eo tendit pastorum varietas, ut animas Christo lucrentur. Et hinc Chrysostomus, quum varium esse debere suum scripsisset Sacerdotem, subjungit: *Varium autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissimulatorem; sed magna tum libertate, tum fiducia plenum, ac qui ex re sese submittere, atque obsecundare sciat, quoties negotiorum usus postulat, quique idem benignus sit & austerus* (*a*). Nec tantum in cura animarum Sacerdotibus prudentia opus est, verum etiam in explicandis reliquis officiis, veluti in depugnandis hæresibus (*b*), in decidendis causis sæcularibus, & in infligendis pœnis ecclesiasticis (*c*), in componendis minus necessariis controversiis (*d*), & si quæ sint hujus generis alia. Paucis. Clericorum officium fere totum prudentia continetur, aut saltem eam semper comitem & adjutricem habere oportet.

CAPUT XXXI.

De Clericorum studiis.

Clerici debent studiis litterarum incumbere.

§. I. Non satis est, Clericos esse sanctos & virtutibus ornatos; sed etiam assiduo labore litteris debent incumbere, ut inde scientiam ad proprium munus obeundum necessariam adquirant. Certe Apostolus jubet, Episcopum esse διδάσκαλον, hoc est, ad docendum alios aptum & idoneum (*e*): idemque Timotheum adhortatur, ut attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ (*f*). Et vero quum levissimæ ipsæ artes diuturno tempore & pluribus laboribus, & interdum etiam peregrinationibus addiscantur, majori profecto studio opus est ad artem, qua animæ reguntur, adquirendam (*g*). Etenim non solum debent rectores animarum aptas singulis morbis exhibere curationes (quod officium plus laboris & experientiæ postulat, quam corporum medicina); verum etiam tanquam doctores docere divinam religionem, & cum inimicis sive Judæis, sive ethnicis, sive hæreticis concertare, & integram reportare victoriam. Quæ omnia, nisi immensa propemodum cognitio & eruditio adsit, quî possunt obtineri? Nec ulla idonea esse potest causa, quæ Episcopos ignorantes excuset etiamsi dicant, se bonis mo-

ri-

(*a*) Chrysost. de Sacerd. lib. 6. cap. 4.
(*b*) Chrysost. de Sacerd. lib. 4. cap. 4.
(*c*) Chrysost. ibid. lib. 3. cap. 18.
(*d*) Gregor. Nazianz. orat. 21. de Laud. Athanas.
(*e*) 1. ad Timot. III. 2.
(*f*) 1. ad Timot. IV. 13.
(*g*) Gregor. Nazianz. orat. 1. de Fuga.

ribus & exemplo prædicare; nam sanctitas in defensione religionis vix ullum usum habet, & muta prædicatio mores componere potest, at non docet religionem. Bene Hieronymus, in consummato Sacerdote & scientiam & sanctitatem requirit, ut ad explendas diversas functionis suæ partes evadat idoneus (*a*).

In primis vero sacræ Scripturæ.

§. II. Jam vero Scriptura sacra est, cui præcipue Episcopos & reliquos Sacerdotes dare operam oportet, quippe quæ eruditionis ad ipsorum functionem necessariæ fundus est & scaturigo. Inde medicamenta omnia ad animæ salutem opportuna desumuntur: inde dogmatum nostrorum cognitio, inde concionibus apta habetur materies: inde regulæ de moribus componendis hauriuntur. Unde Ambrosius Scripturam sacram eleganter appellat *librum sacerdotalem* (*b*). Et Hieronymus negat esse Domini Sacerdotem, qui Domini legem ignorat (*c*). Et alibi Presbyteri sermonem Scripturarum lectione conditum esse debere scribit (*d*). In primis vero verba Patrum Concilii Nicæni II. sunt memoranda, quæ ex Dionysio mutuare profitentur: *Substantia Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, idest vera Scripturarum divinarum disciplina* (*e*). Et hinc edixerunt, ante ordinationem inquiri debere à metropolita, num episcopatus candidatus in promptu sciat legere *scrutabiliter* Scripturas & Canones; ut intelligas, non sufficere superficiaria Scripturarum scientia Episcopos imbutos esse, sed debere esse consummatos, ut vere dici possit, eorum pectus Christi bibliotheca.

Cui adjungere debent Canones & Patres.

§. III. Proxime post Scripturam sacris Canonibus ediscendis Clerici operam dare debent suam. Sunt sacri Canones consectaria ex Scripturis deducta, quæ ad mores componendos & ad regendam Ecclesiam regulas continent: Episcopis autem & Presbyteris non minus censura morum, quam Ecclesiæ regimen competit. Passim Canones & Patres hanc ediscendorum Canonum obligationem Clericis inculcant. Concilium IV. Toletanum edicit: *Sciant Sacerdotes Scripturas sanctas & Canones meditentur* (*f*). Et Innocentius I. *Ecclesiasticorum Canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti, quia nesciri hæc à Pontifice satis est indecorum* (*g*). Et Cælestinus I. *Nulli Sacerdotum liceat sacros Canones ignorare* (*h*). Sunt etiam quidam Canones qui

(*a*) Hieronym. epist. II. ad Nepotian.
(*b*) Ambros. l. 3. de Fide cap. 7.
(*c*) Comm. in Aggæum.
(*d*) Hieronym. ep. II. ad Nepot.
(*e*) Conc. Nicæn. II. Can. II.
(*f*) Conc. Tolet. IV. Can. XXV.
(*g*) Innocent. I. epist. V.
(*h*) Cælest. ep. III. cap. I.

qui Clericos intelligere jubent *librum pastoralem à B. Gregorio Papa* editum (*a*): & sanctiones Caroli M., præter *psalterium*, quod ex antiquioribus regulis memoria Clerici debent ediscere, porro addunt *pœnitentiales*, *cantum & computum*, seu rationem festa Ecclesiæ mobilia computandi. Scripturis & Canonibus addere Clericos oportet Patrum meliorum lectionem, quæ in interpretanda sacra Scriptura, in habendis concionibus, in ediscenda Historia Ecclesiastica magni usus est.

Clericis profana studia non sunt aliena.

§. IV. Atque hæc sunt primaria Clericorum studia, quibus, tanquam pedissequa, accedat, necesse est, omnis profana eruditio. Scilicet sæpe Scripturæ & Canones non intelliguntur, nisi temporum accedat historia, & originales linguæ, & gentium mores, ad quos Scriptura respicit, præcogniti habeantur: sæpe cum iis agendum, qui Scripturas non admittunt, quique tantum ratione pugnant: sæpe cum iis, qui ejusdem religionis sunt concertandum: & sæpe conciones ita haberi debent, ut auditores voluptate capiantur, quo attentius audiant, & auditas in usum vertant veritates. Unde fit, ut instituto Clericorum omnis humana conveniat eruditio, peritia nempe linguarum, critica, chronologia, geographia, historia, dialectica, ars oratoria, mathesis, physica, metaphysica. Et profecto omni ætate celebriores ecclesiastici scriptores sui muneris esse crediderunt studia profana sacris adnectere, ut propriis armis expugnarent inimicos, & de auditoribus triumpharent. Quod qui de eorum scriptis aliquid noverint, facile admittent. Generatim de plerisque Græcis & Latinis scriptoribus, qui ante se scripserunt, Hieronymus observat, quod *in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos referciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum* (*b*). Inter cæteros ex antiquis hoc nomine celebratur Origenes, Hieronymus & Augustinus. Quamvis negari non potest, in usu humanæ eruditionis sæpe veteres peccasse, & studia pedissequa sic inservisse rebus sacris, ut inde ipsam religionem mentirentur; ex quo fonte plerasque hæreses natas sæpe Patres conqueruntur (*c*).

Quatenus Clericis conveniant studia profana.

§. V. Quæ quum ita sint, videamus oportet, quæ sit Patrum Carthaginensium sententia, qui ita statuunt: *Ut Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate & tempore* (*d*). Cer-

(*a*) Conc. Turon. III. Can. III.
(*b*) Epist. LXXX. ad Magnum.
(*c*) Gregor. Nazianz. Orat. VII., Epiph. hær. CXVII., Conc. Carth. IV. Can. XVI.
(*d*) Conc. Carth. IV. Can. XVI.

Certe regula ista ad verbum intellecta damnat celebriores ecclesiasticos scriptores, qui profanam eruditionem studiis sacris adjunxerunt, & præterea media ad interpretandam Scripturam & ad inimicos debellandos ab ipsis Episcoporum manibus extorquet. Itaque videntur Patres gentilium librorum lectionem Episcopis interdixisse, quo casu eam tanquam principalem instituerent, non quatenus studiis sacris inserviat. Et vero omni ætate fuerunt ecclesiastici, qui posthabitis Scripturis & sacris Canonibus ad profana studia se converterunt; idque vel quia simplex Scripturæ stilus iis non arridebat, & quod vellent dictioni assuescere puriori, vel propter voluptatem, quam ex libris profanis hauriebant, quamque ex sacris capere non posse autumabant; vel qui ad perdiscendam artem sophisticam ea judicabant accommodata. Certe hos omnes contra finem, quem in libris profanis volutandis Clerici spectare debent, fecisse in compertis est; nam viri Deo consecrati, veluti inviti ad gentilium libros divertere debent. *Legimus aliqua*, inquit de seipso Ambrosius (*a*), *ne legantur*; *legimus*, *ne ignoremus*; *legimus*, *ut non teneamus*, *sed ut repudiemus*. Et Hieronymus quum observasset, ad intelligendas extremas partes Danielis multiplicem Græcorum historiam esse necessariam, addit, quod si quando cogatur sæcularium litterarum recordari, *non nostræ voluntatis est*, *sed ut* (*ita dicam*) *necessitatis*, *ut probemus ea*, *quæ à sanctis Prophetis ante sæcula multa prædicta sunt*, *tam Græcorum*, *quam Latinorum & aliarum gentium litteris contineri* (*b*).

Mediis sæculis desueta Scripturæ & Canonum studia.

§. VI. Diu floruerunt in Ecclesia Scripturarum & Canonum studia, sed inde in Occidente veluti desierunt, idque propter barbarorum incursiones, qui omnia devastantes, bibliothecas combusserunt, &, paulatim attritis bonis ecclesiasticis, Clericos manuum labore vivere coegerunt. Sæculo VII. adeo in ipsa Roma bonæ omnes artes & Scripturæ ignorabantur, ut dogmata fidei sola fere starent traditione (*c*). Ipsi codices adeo rari evaserant, ut Tajus Cæsar Augustanus Episcopus postremam partem moralium Gregorii M. in Hispania frustra quæsitam, Romæ non aliter, quam divina revelatione recuperare potuerit (*d*). Successernnt inde scholastici, qui necessariis præsidiis ad Scripturam interpretandam destituti, ejus studia non excoluerunt, & scholasticam philosophiam rebus sacris adnectentes, novam theologiæ methodum, parum de dogmatibus sollicitam & mysteriis verborum involutam, induxerunt. Nec meliora fata habuerunt sacri Canones, qui mores & ecclesiasticam formant dis-

(*a*) Proœm. in Luc. Evangel.
(*b*) Hieron prol. in Daniel.
(*c*) Mabillon. Præf. in sæcul. II. Benedictin. n. 54.
(*d*) V. Baron. ad an. DCXLIX.

disciplinam. Etenim postquam cœperunt Pontifices decretalibus suis novum jus constituere, easque in codices redigere, recentiores interpretes volutandis decretalium codicibus adhæserunt, & ex antiquis codicibus solum legebant Gratianum. Interim invaluit *probabilismus*, qui vice sacrorum Canonum tam facile res morales definit, quam vulpes pyrum comest, eoque duce cœperunt nostri casuistæ de justitia & injustitia actionum humanarum judicare. Et ita Canones spiritu Dei conditi fere cum honore sepulti sunt, eoque deventum, *ut suspectos de fide pronuncient*, *qui sicut fidei dogmata*, *ita morales conclusiones asserunt repetendas ex Scripturis sacris*, *Canonibus Ecclesiæ & Sanctorum Patrum scriptis*, ut loquitur Ludovicus Habertus (*a*). Induerunt bonam mentem jamdiu multi ecclesiastici, egregiamque sacris Scripturis, & Canonibus navant operam, quin probabilismus alicubi tantum non intercidit; verum adhuc plerique sunt, qui superficiariis asceticis libellis, & vulgaribus de re morali regulis innutriuntur.

An juris civilis studia Clericis conveniant.

§. VII. Superest nunc, ut videamus, an studia juris civilis & medicinæ Clericis conveniant. Et quantum ad leges, antiqui Patres de iis perdiscendis non adeo videntur curasse, quamvis usui esse possent in causis sæcularibus decidendis: quinimo in aliquibus speciebus eas diserte repudiarunt (*b*). Et quod Oiselio aliisque placuit, Tertullianum, cujus fragmenta in pandectis supersunt, eundem esse cum ecclesiastico scriptore, merito veris doctis, in primis Menagio, displicet (*c*). Sed inde à barbaris gentibus, quibus odio erant bonæ litteræ, occupato Occidente, cœperunt Clerici juri civili ediscendo operam dare; idque præsertim postquam Bononiæ jus illud felici omine doceri cœpit: cui studio avaritia & ambitione inflammati adeo se immerserant, ut theologica negligerent. Unde Episcopi Scripturarum eloquia nesciebant, quod scirent *legum scita & forense litigium*, ut Petrus Damianus testatur (*d*). Et in Pontificis palatio leges perstrepebant, *sed Justiniani*, *non Domini*, ut graviter B. Bernardus deplorat (*e*). Ergo ad ampliationem studii theologiæ statuit Honorius III., ut non minus Monachi, quam Presbyteri & Clerici in dignitate constituti à studiis juris civilis abstinerent (*f*). Et dedecet profecto Clericos neglectis Scripturis, juri civili operam dare, & quidquid ejus rei est referre ad litigiosa fora: nam alioquin insignes ad morum regulæ hauriri possunt ex libris pandectarum. Sed prohibitio caruit effectu, idque videtur evenisse ipsis Pontificibus auc-

to-

(*a*) De Sacr. ord. part. 2 cap. 8.
(*b*) Ambros. lib. 1. de Abraham. Hier. epist. ad Ocean.
(*c*) Menag. amœnit. jur. civ. cap. 12.
(*d*) Lib. 1. ep. XV
(*e*) Lib. 1. de Consid cap. 4.
(*f*) Cap. 10. ext. Ne Clerici vel Monachi.

toribus, qui jus Canonicum novum adeo stabili connubio cum jurisprudentia copularunt, ut sine legibus civilibus vix ejus notitia possit comparari.

An medicinæ studium Clericis conveniens?

§. VIII. Venio ad medicinam, quæ quanta quanta est, mediis sæculis *physicæ* nomine veniebat. Medicina theoretica etiam in studiis theologicis, & doctrina morum usum habet, & ita ejus aliqua notitia à Clericis non videtur aliena. Barbaris sæculis celebriores Episcopi & Monachi medici fuerunt: & apud nos medici insigniores fuerunt Monachi Cassinenses, & multi Episcopi, in primis Salernitani (*a*). Videntur Clerici medicas quoque artes hausisse, dum artium liberalium orbem decurrebant, in quo physica medicinam complectebatur: ut mittam quod mediis sæculis laici studiis litterarum parum incumbebant, & ita quidquid ejus rei erat veluti patrimonium Clericorum habebatur. Monachi autem & Clerici ad divitias coacervandas plerumque faciebant medicinam (*b*). Ergo Alexander III. in Concilio Turonensi & Honorius III. vetuerunt, ne Monachi juri civili addiscendo, aut medicinæ in universitatibus vacarent (*c*) quam prohibitionem idem Honorius III. etiam ad ampliandum studium theologiæ ad Presbyteros & ecclesiasticas dignitates extendit (*d*). Et vero non adeo convenit Clericorum vocationi medicinam facere, & assidua circuitione ad præscribenda remedia infirmos invisere. Sed eo quoque nomine Clerici chirurgia interdicuntur, ne forte mortis causam præbentes à Canone sint alieni (*e*). Interim in tanta Clericorum multitudine, qui non omnes stipendiis vivunt ecclesiasticis, necessario debet evenire, ut multi non adeo Scripturis & Canonibus incumbant.

CAPUT XXXII.

De habitu & tonsura Clericorum.

Christiani vulgo receptis vestibus utebantur.

§. I. Decorum in omnibus actionibus necessarium etiam in externo corporis cultu exprimere Clericos oportet, ut ita vitæ sanctitati & sacro, quod exercent, ministerio omnia respondeant. *Vestis*, inquit perspecte Clemens Alexandrinus (*f*), *indicat*, *cujusmodi mores*

(*a*) Istoria Civile del regno di Napoli lib. 10. cap. 11.
(*b*) Cap. 3. ext. eod.
(*c*) Cap. 3. & 10. ext. eod.
(*d*) Cit. cap. X.
(*e*) Cap. 19. ext. de Homic.
(*f*) Pædag. lib. 3. cap. 11.

res nostri sint, *& cultu corporis augetur luxuria*. In rebus indifferentibus decorum & turpe à receptis populorum moribus æstimatur, quibus Christi doctrina non repugnat; & ita uno loco & tempore turpe est, quod alibi & alio tempore honestum. Itaque initio christiani publicas receptasque vestes induerunt, nec externo cultu à cæteris diversæ religionis distinguebantur: quod ex Justino Martyre, seu alio auctore, certe pervetusto, epistola ad Diognetum, Tertulliano, Minucio Felice, Cypriano aliisque constat (*a*). Summa quoque erat imprudentia, scrupulosa vestitus ratione seipsos distinguere, quando odiis & persecutionibus populorum christiani erant obnoxii. Unde christiani Romæ viventes & civibus adscripti toga, in Græcia pallio, in provinciis provinciali habitu utebantur, tantumque in receptis vestibus luxum & vanitatem mutarunt. Quod si aliqui abjecta toga, pallium sumebant, id minime ad vestium spectabat mutationem, sed potius indicium erat vitæ durioris, eoque habitu se veram, non fucatam philosophiam sectari demonstrabant: quod etiam ex gentium usu erat, apud quas, qui pallium suscipiebant, sapientiæ studiosi censebantur.

Habitus Clericorum proprius nullus fuit.

§. II. Jam vero ipsi Clerici, non secus ac alii christiani, receptis apud gentes vestibus per quinque plus minus sæcula usi sunt: tantumque in earum usu vanitatem declinarunt, modestiæ, suo vitæ generi convenienti, unice studentes. Nec sane aliter cogitare patitur durus per tria prima sæcula christianorum status, quando persecutorum gladius crudelius in ipsos sæviebat Antistites, qui præ cæteris summa cura & indagine ad supplicia conquirebantur. Non erat certe opus indagine, si peculiaribus vestibus ipsi in publicum prodibant. Porro quotquot de re vestiaria Clericorum primis quinque sæculis mentionem habent, omnes receptis vestibus eos exhibent indutos. Ut ecce Heraclas Presbyter Alexandrinus vulgari veste usus est, quamvis postea ea deposita philosophicum habitum induerit (*b*). Et Tertullianus pallio se tegebat (*c*), quod diu post presbyteratum videtur induisse; quod ex ejus libro *de pallio* Heineccius probat (*d*). Idem quoque constat ex Concilio Gangrensi, in quo damnatus Eustathius Episcopus, qui περιβόλαιον *amictum pallii*, propter ascesim susceperat, & tanquam ex eo habens justitiam, alios damnabat, qui *birros* & alias communes ferebant vestes (*e*). Quod vero rem omnem conficit, recte est celebris epistola Cæles-

ti-

(*a*) Justin. Martyr ep. ad Diognet., Tertull. apol. cap. 42., Minuc. Felix Oct. cap. 9. Cypr. de Bono patient.
(*b*) Orig. ap Euseb. lib. 6. cap. 19.
(*c*) Tertull. de Pallio.
(*d*) Heinec. exercit I. de Habitu Apost. Sacerd. cap. 1. §. 6.
(*e*) Conc. Gangr. Can. XII.

tini Papæ ad Episcopos Viennenses & Narbonenses, in qua acerbe carpit Episcopos, qui novitate quadam ducti, vestes communes hactenus usitatas cum superstitioso mutaverant amictu. *Unde*, inquit (*a*), *hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi à plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.* Memoranda certe verba, quæ utinam aliquando Clerici intelligant.

Sexto sæculo Clerici vestibus distincti.

§. III. Primi, qui peculiares civiles vestes inter Clericos invexerunt, Monachi videntur fuisse, qui in sortem Domini cooptati, iisdem moribus & vestibus, quibus in monachatu usi erant, vivere perrexerunt (*b*): eorumque sanctitate multi ex reliquis Episcopis devicti, vestes etiam monasticas induerunt. Interim novitatem istam apud Latinos in Gallia primum exortam statim Cælestinus Papa damnavit, novumque habitum tanquam superstitiosum traduxit: ac ita in Occidente toto sæculo quinto ab antiquo vestiendi more non multum Clerici deflexerunt. Sed tandem postquam barbaræ gentes, in primis Longobardi, Occidentem invaserunt, mutatio invaluit vestis clericalis: non quod ipsi Clerici aliquid in hac parte mutassent, sed quod, barbaris novis & curtis vestibus utentibus, ii antiquum vestiendi morem retinuerunt (*c*). Itaque inclinante sæculo sexto in Ecclesia Latina Clerici jam peculiari veste utebantur: quod pluribus congestis monumentis probat Thomassinus (*d*). Nec enim Ecclesiæ erat gravitatis, mores barbarorum imitari, præsertim quum Ecclesia Romana eo tempore Imperio Græco addicta, à Longobardis abhorreret. Unde ab hoc tempore passim in antiquis monumentis *ecclesiasticus & sæcularis habitus* occurrit, quum antea nunquam talis inveniatur differentia. Et de Gregorii M. familia ita Jo. Diaconus scribit (*e*). *Nullus Pontifici famulantium à minimo usque ad maximum, barbarum quidlibet & in sermone vel in habitu præferebat. Sed togata, Quiritium more, seu trabeata latinitas in ipso latiali palatio singulariter obtinebat.* Similiter hoc eodem tempore apud Græcos Clerici propriis vestibus jam erant donati (*f*), quas tamen Monachi magno numero ad episcopatum & clericatum adsumpti secum deferentes, Clericorum proprias tandem reddiderunt.

Qui color vestis clericalis.

§. IV. Quemadmodum vero in vestitu peculiarem usum primis sæculis Clerici non sectabantur, ita etiam in vestium colore se receptis aptarunt moribus, ea tamen moderatione, ut modestiam etiam apto colore selecto exprimerent. Apud Romanos communis vestium color albus erat (*a*), & color pullus, ad nigrum nempe vergens, pessimi ominis erat, togisque pullis tantum in luctu Romani utebantur (*b*). Unde ad modestiam Clericorum Nepotiano Hieronymus edicit, ut vestes pullas æque devitet ac candidas, idque quod ornatus & sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. (*c*). Tempore Chrysostomi Constantinopoli catholici Clerici atris uti cœperant vestibus (*d*): quod deinceps magis magisque invaluit, postquam Monachorum vestes Clerici induerunt. Sed in Occidente etiam post vestes mutatas certi coloris lege Clerici non adstringebantur: tantumque Synodus Narbonensis an. IOLXXXIX. purpureas vestes interdixit, quod magis sæculi convenirent magistratibus. Circa medium sæculi XI. Concilium Coyacense in Hispania id unum Clericis præcepit, ut *vestimentum unius coloris & competens habeant*, nec verbum addidit, quo peculiarem colorem indicarent. Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio II. tantum cavetur, ne Clerici *superfluitate, scissura & colore vestium* alios offendant (*e*). Itaque usus coloris nigri pro Clericorum vestibus posterioribus sæculis generaliter invaluit, eoque colore recepto vestes civiles Clericorum propriæ non solum oblongæ, ut antea, sed & nigræ esse cœperunt.

Christiani omnes modesto erant capillitio.

§. V. Ab habitu ad Clericorum tonsuram transeundum, in qua componenda etiam eorum honestas & decorum elucescit. Et in capillorum cultu Christiani receptis populorum moribus, inter quos vivebant, seipsos accommodabant, ita tamen ut decorum cujusque regionis exprimerent. Generatim in Imperio Romano viri honesti comam non nutriebant, nec capita radebant, sed inter longam comam & calvitium medium tenentes, in tantum demittebant capillos, ut cutis operiretur. Contra luxuriosi, barbari, milites capillos nutriebant (*f*). Unde pro diverso capillorum cultu alibi capillitium, alibi capillorum detonsio aut rasura luctus & mœroris erat indicium (*g*). Itaque in Imperio viri omnes Christiani modestis brevibusque erant capillis, contra feminæ comam nutriebant, quod erat decorum pro cultu capitis tum receptum. Et hinc Apostolus Corinthios notat, quod eorum mulieres intecto erant capite, & viri comam nutriebant, eosque decori proposita regula revocat ad officium (*h*). *Vir, si comam nu-*

(*a*) Cælest. ep. II. ad Episc. Galliar. cap. 1.
(*b*) Cælest. Papa ep. cit.
(*c*) Fleuryus Inst. Jur. Eccl. part. 1. cap. 5.
(*d*) Thomass. part. 1. lib. 2. cap 46.
(*e*) Jo. Diacon. Vit Gregor. M. lib. 2. cap. 23.
(*f*) Conc. Trull. Can. XXVII.

(*a*) Lipsius. lib. 1. Elect. cap. 13.
(*b*) Rosin. Antiq. Roman. lib 5. cap. 32.
(*c*) Hieronym. ep. II. ad Nepotian.
(*d*) Socrat. lib. 6. cap. 22.
(*e*) Conc. Lateran. II. cap. 15.
(*f*) Hieronym. lib. 13. in Ezechiel. cap. 44.
(*g*) Chrysost. serm. III. de Propheta Job.
(*h*) 1. ad Cor. XI. 14. & seq.

nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Passim antiqui Patres, in primis Tertullianus, Clemens Alexandrinus, auctor constitutionum apostolicarum, Epiphanius, Chrysostomus aliique hanc eandem regulam proponunt, ut hinc dubitari non possit, decorum in cultu capitis pro viris brevem comam, pro mulieribus oblongos capillos fuisse (*a*). Gloria vero mulieris in nutrienda coma tantum permittebat, eam in longum crescere, & modeste nutrire, non adhibitis structoribus & calamistris in annulos torquere. Et huc spectare videtur Canon quidam Illiberitanus, qui vetat, *ne qua fidelis vel catechumena comatos, aut viros cinerarios habeat* (*b*). Etenim *cinerarii* videntur fuisse capillorum structores, qui tum è Germania erant oriundi, & artem crispandi & ornandi crines, adhibitis calamistris lucri studio per Romanum circumferebant Imperium, & apud delicatos & delicatas grati erant, & inter officia opulentarum familiarum admittebantur: ideoque eos, tanquam morum corruptores, à fidelium & cathecumenarum mulierum famulatio Patres Illiberitani procul arcent. (*c*).

Primis quinque sæculis nulla fuit Clericorum tonsura.

§. VI. Jam vero per quinque priora plus minus sæcula, non secus ac ipsi laici Clerici modesto usi sunt capillitio: passimque hodie convenit inter eruditos abrasum in vertice Clericorum caput, quod inferius capillorum circulum relinquit, posterioris ætatis inventum esse (*d*). Et sane veri speciem nullam habet, primis tribus sæculis, quibus ad internecionem præsertim Antistites quærebantur, tam insigni nota Clericos se prodidisse. Deinde Optatus vitio vertit Donatistis, quod contra tot exempla in contrarium proposita catholicorum Sacerdotum capita radebant (*e*), ut forte eos ad agendam publicam in Ecclesia pœnitentiam adducerent. Nulli vero exceptioni obnoxia sunt verba Hieronymi, quibus tonsuram Clericorum ita describit, ut eam à communi christianorum nihil distare palam faciat. Etenim in hæc verba Ezechielis (*f*) de Sacerdotibus Judæorum, *caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua*, ita commentatur: *Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque & militantium, sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur; nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis* (*g*).

Quo

(*a*) V. Lupum diss. de S. Leonis IX. actis c. 16. Crim. 9. tom. 4. oper. edit. Venetæ.
(*b*) Conc. Illiber. Can. LXVII.
(*c*) Lupus loc. cit.
(*d*) Thomass. part. 1. lib. 2. cap. 37. & seq.
(*e*) Optat. cont. Parmen. lib. 2.
(*f*) Ezech. cap. 44. 20.
(*g*) Hieronym. lib. 13. in Ezechiel. cap. 44.

Quo tempore inducta tonsura clericalis.

§. VII. Sed temporis lapsu modesta brevisque Clericorum coma abiit in tonsuram, quæ detonso, & inde etiam raso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat: quod ex tonsura Monachorum videtur dimanasse (*a*). Scilicet pro femineis longisque crinibus, quos nonnulli Monachi affectarunt, eorum plerique casta informitate & inæqualiter capillos ad cutem tondebant, ut ludibrio hominibus essent (*b*). Inæqualiter ad cutem attonsi tandem perspecta eorum sanctitate fuerunt admirationi, & ex monachatu ad clericatum assumti, pristinum capillorum servarunt cultum, eosque alii Clerici cœperunt imitari. Ne vero informis tonsura Clericos deformaret, eam in meliorem formam adornarunt, quæ æqualiter detonso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat: quod non ante sæculum sextum in Occidente factum videtur (*c*): etenim ante Isidorum Hispalensem, qui sub finem sexti sæculi floruit, & Concilium Toletanum IV. an. ıɔcxxxvi. celebratum, scriptor forsan non invenitur, qui eam formam tonsuræ tribuat. Quamvis vero non ita pridem sic descripta tonsura invaluisset, ejus institutorem statim Beatum Petrum dictitarunt (*d*), eamque à *tonsura Pauli*, quæ ab Oriente per Theodorum Monachum in Angliam allata, totum caput radebat, nulla corona relicta, distinxerunt (*e*). Et ne mystici sensus deessent, tonsura significari dixerunt regale Christi sacerdotium (*f*), & spineam Christi coronam (*g*): quin in ipsa etiam capillorum detonsione temporalium omnium contemtum invenerunt (*h*). Interim in omnibus Clericis æqualis tonsura videtur fuisse, nec adhibebatur novacula, quæ verticem capitis omnino denudaret; constanter enim sexti & septimi sæculi scriptores caput superius tonsum non rasum memorant. Sæculo octavo Clericorum capiti videtur accessisse novacula: in falsis enim decretalibus sub nomine Aniceti ita scribitur: *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant* (*i*): nec forsan antiquius prostat monumentum, quo in modum sphæræ abradi capita Clericorum præcipiatur. Et ex hoc tempore videtur Clerici totum superius caput rasisse, donec tandem inductum, ut cuique ordini tonsura responderet (*k*).

For-

(*a*) Thomass. loc cit. cap. 37. n. 13.
(*b*) Paulin. ep. VII. Salvian. de Gubern. Dei lib. 8.
(*c*) Isidor. Hispalens. de Off. Eccles. lib. 2. cap. 4., Conc. Tolet. IV. Can. XLI.
(*d*) Isidor. loc. cit. Gregor. Turonens. de Gloria Mar. lib. 1 cap. 28.
(*e*) Beda lib. 4. cap. 1. & lib. 5. cap. 12., Conf. Usser. antiquit. Britan.
(*f*) Isidor. loc. cit.
(*g*) Beda lib. 5. cap. 22.
(*h*) Isidor. loc. cit.
(*i*) Can. XXI. D. 23
(*k*) Cap. XV. ext. de Vit. & honest. Cleric.

Formula adjurandi Episcopos per coronam.

§. VIII. Jam vero contra tonsuram clericalem, in coronæ formam demum sexto exeunte sæculo compositam, facere videtur solemnis adjurandi & deprecandi Episcopos formula *per coronam* quarto & quinto sæculo receptissima (*a*), & appellatio *coronatorum*, qua interprete Gothofredo, Clerici ab Honorio Imperatore (*b*) designantur. Et quidem Baronius & Savaro (*c*) eam loquendi formulam ad clericalis tonsuræ formam spectare scribunt: quin ipse Jac. Gothofredus nomine *coronatorum* Clericos interpretatur ob ξύρισμα γυροδεὲς, tonsuram nempe capillorum in gyrum ductam (*d*). Sed quando quinto sæculo comam brevem, non tonsuram Clerici gestabant, vix est, ut hæ interpretationes satisfaciant. Ergo non defuerunt, qui Episcopos adjuratos *per coronam* opinantur, à capitis ornamento, *mitra* nempe, quam sub nomine *coronæ* designatam autumant (*e*). At usus mitræ videtur sæculo decimo recentior: quod ex veterum silentio Menardus adstruit (*f*). Nec quod Joannes Apostolus, teste Polycrate, vetustissimo scriptore, πέταλον, *laminam* portarit (*g*), id facit ad probandum mitræ usum, aut aliud ornamentum, quod in capite quarto sæculo Episcopi gerebant; nam quidquid fuerit πέταλον Joannis, certe non constat, deinceps Episcopos idem usurpasse. Contra Thomassinus & Binghamus morem adjurandi per coronam metaphoricum fuisse conjiciunt, quo honor Episcopis debitus, & regale Christi sacerdotium, quod in Episcopis singulari gloria præfulget, significatur (*h*). Sed nisi ponatur insigni aliquo ad coronam accedente Episcopos fuisse distinctos, vix translatus iste loquendi modus intelligitur. Si mihi in senatu eruditorum dicere sententiam concedatur, puto, ejus locutionis genus ex forma Presbyterii dimanasse. Notum est, Presbyteros cum Episcopo constituisse Ecclesiæ senatum, in quo eminentior Episcopi sedes, & secundi throni Presbyterorum efficiebant semicirculum, quem Ignatius Martyr *spiritualem coronam*, & constitutiones apostolicæ *Ecclesiæ coronam* appellant (*i*). Universa autem Ecclesiæ potestas residebat in spirituali ista corona, cujus auctoritate negotia omnia Ecclesiæ tractabantur (*k*). Unde fieri potuit, ut vis ipsa sacerdotii, quæ in Episcopis præsertim residebat, *per coronam*, utpote rem in Ecclesia illustriorem, designaretur, & Clerici ipsi dicerentur *coronati*, ob reverentiam & dignitatem, quam ipsis corona conciliabat. Ipsa antiqua monu-

(*a*) Hieronym ep. XXVI. ad August. inter epist. August., August. ep. CXLVII. ad Proculejan. Synod. lib. 4. ep. XXIX. & passim.
(*b*) L. XXXVIII. C. Th. de Episc. & ibi Gothofred.
(*c*) Baron. ad an. 58., Savaro not. in sidon. lib. 6. ep 3.
(*d*) Gothofr. in L. XXXVIII. C. Th de Episc.
(*e*) Spond. epit. Baron. an. 58. n. 54.
(*f*) Hugo Menardus not. ad Sacram. S. Gregorii.
(*g*) Polycr ap. Euseb. lib. 5 cap. 24.
(*h*) Thomass. part. 1. lib. 2 cap. 37. n. 9., Bing. lib. 2. Orig. c. 9. §. 5.
(*i*) Ignat. Martyr. epist. ad Magnes. n. 13., Const. apost. lib. 2. cap. 28.
(*k*) V. sup. cap. 16. §. 4.

numenta ab hac sententia non abludunt. Paschasius Episcopus ad Leonem Papam: *Jubere dignata est corona vestra.* Et, ut alia multa similia loca mittam, Sidonius Apollinaris (*a*): *de minimis rebus coronam tuam maximisque consulerem.* Scilicet prævio in presbyterio tractatu Episcopi ad consultationes respondebant, ac ita consulere coronam idem videtur ac consulere Episcopum presbyterio præsidentem.

Nova in Gratianum crisis.

§. IX. Porro sine commentario non prætermittendum fragmentum quoddam sub nomine Hieronymi *ad quendam suum Levitam de diversis generibus hominum* à Gratiano relatum (*b*), in quo diserte asseritur, abrasam in vertice coronam Clericos gestare. *Hi namque* (Clerici) *sunt reges, id est se & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ex institutione Romanæ Ecclesiæ, in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio.* Mirum est, neminem ex Gratiani correctoribus, quod sciam, aliquid in hoc fragmentum adnotasse: magisque mirum hoc nostro tempore esse, qui tali innixi fundamento morem radendi verticem Clericorum ætate Hieronymi receptum faciant. Etenim hoc fragmentum falso Hieronymi nomen præferre mihi videtur exploratum. Et vero quî fieri potest, ut Hieronymus capite rasos Clericos exhibeat, quando ex ejus sententia, quam ex Ezechiele confirmat, christiani Sacerdotes rasis capitibus, sicut Sacerdotes Isidis atque Serapis, esse non debent, sed tantum modesto capillitio, quod inter calvitium & longam comam medium teneat (*c*)? Porro quo spectat inscriptio *ad quendam suum Levitam*, quando Hieronymus sine certo titulo Presbyter ordinatus, sibi addictum Diaconum habere non potuit (*d*)? Stilus quoque mollis ab Hieronymiano videtur abhorrere: nec inter Hieronymi opera aliquid prostat, quod *ad quendam suum Levitam* nomen præferat. Et ut alia mittam, mystica regni per coronam significatio, & depositio temporalium in rasione expressa, posterioris ætatis inventa sunt, antiquis omnibus ignota. Unde conjicio, fragmentum hoc sub finem octavi sæculi prodiisse, quando Sacerdotes caput radere cœperant, & mystici coronæ & abrasi capitis sensus jam recepti erant.

Clerici olim barbam non radebant.

§. IX. Superest ut de cultu barbæ, quæ etiam ad Clericorum spectabat tonsuram, aliquid dicamus. Romani ab an. V. C. CCCCLIV. us-

(*a*) Sidon. lib. 7.
(*b*) Can VII. c. 12. q. 1.
(*c*) Hieron. lib. 13 in Ezechiel. cap. 44.
(*d*) V. sup. c. 26. §. 4.

usque ad Imperatorem Hadrianum barbam raserunt, at Hadrianus ad faciei tegendam turpitudinem barbam longam, ab antiquissimis Romanis excultam, reduxit (*a*). Similiter apud plerasque alias gentes barbæ denudatio turpe spectaculum, quo viri vertebantur in feminas, habebatur. Et hinc passim barba promissa obtinuit, aut saltem sic tonsa, ut faciem non denudaret : testaturque Hieronymus, in summo luctu & mœrore barbas depositas & calvitium inductum. *Apud antiquos*, sunt Hieronymi verba (*b*) *barbæ capitisque rasura luctus indicium fuit*. Moribus autem receptis olim se accommodantes Clerici, pro variis locorum moribus aut barbam nutriebant, aut modeste attondebant. Unde cavet Concilium Chartaginiense IV., *Clericus neque comam nutriat neque barbam radat* (*c*) : quam esse genuinam lectionem ex Vaticanæ bibliothecæ aliisque manuscriptis exemplaribus Savaro demonstrat (*d*). Et quî alias cavere poterant Patres Carthaginenses, quando Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Constitutiones apostolicæ & Epiphanius generatim omnes damnant christianos, qui barbam deponebant? Porro Sidonius Appollinaris Maximum Palatinum amicum suum, qui ex laico in Clericum erat adscitus, ita depingit: *Habitus vero, gradus, pudor, color, sermo religiosus, tum coma brevis, barba prolixa* (*e*).

Sed inde Latini barbam radere cœperunt.

§. XI. Sed lapsu temporis, retenta apud Orientales barbæ nutriendæ consuetudine, Occidentales, quod turpe spectaculum antiquis videbatur, barbæ admiserunt rasionem. Ita pro temporum & locorum ratione variat civile decorum. Sexto sæculo passim apud Italos videtur deposita barba ; etenim de Justiniano refert chronicum Alexandrinum, *Justinianus erat mento rasus, ritu Romanorum* : & Longobardi à longa barba dicti indicant diserte, Italos barbam deposuisse. More cæterorum etiam Clerici barbas raserunt, quod quo tempore primum fecerint, non ausim affirmare. Certe vero sæculo nono jam barbam radebant (*f*), eoque nomine Ecclesiam Latinam Græci criminati sunt. Sed non erat ut pro re indifferenti Græci tantas excitarent lites, nam sanctitas non in barbæ cultu, sed in exercitio virtutis & honestatis consistit. Et vero ipsi gentiles philosophi ludibrio erant, quod philosophiam capillitio & barba longioribus & pallio unice æstimabant. *Philosophorum phalanx*, inquit Theodoretus (*g*), *pallio albo & barbæ prolixitate & capitis capillitio philosophiam metitur*. Semel autem à Clericis Latini deposita barba, Burchardus, Ivo Carnotensis & Raymundus Canonem Concilii IV. Carthaginiensis sine voce *radat* codicibus inseruerunt suis (*a*), ut ita receptæ non adversaretur consuetudini. Et ita apud Latinos barba rasa etiam ad Clericorum spectavit tonsuram, passimque post sæculum decimum Concilia nomine *tonsuræ* & coronam in capite & barbam rasam intelligunt (*b*).

(*a*) Vita privata de Romani c. 4. 11.
(*b*) Hieron. in Isai. cap 15.
(*c*) Con. Carth. IV. Can. XLIV.
(*d*) Savaro not. in Sidon. lib. 4. ep. XXV.
(*e*) Sinod. lib. 4. ep. XXIV.
(*f*) Ratramnus contra opposita Græcorum lib. 4. cap. 5.
(*g*) Orat. I. de Div. Prov.

Clerici habitum & tonsuram deferre debent.

§. XII. Jam vero postquam Clerici tonsura & habitu à laicis distincti sunt, ad eorum pertinere officium cœpit semel tonsuram & habitum vel simul cum aliquo ex minoribus ordinibus, vel seorsim susceptum, tanquam insigne propriæ vocationis deferre. Et hinc sub anathema prohibuit Gregorius M., ne Clerici comam relaxarent : quæ prohibitio non recte Gregorio IX. in Decretalibus tribuitur (*c*). Et Alexander III. decrevit, Clericos barbam & comam nutrientes, etiam invitos, à suis Archidiaconis tonderi (*d*) : addidito que Concilium Eboracense an. CIↃCXCIV. beneficiorum privationem. Passim quoque Canones inculcant, ut Clerici propriis sibique competentibus vestibus utantur : nec more laicorum pretiosis & affectatis vestibus superbiant (*e*). Nempe mediis sæculis qui deponebant tonsuram & vestes induebant laicales, tacitę clericatui abrenunciare videbantur : quod quum ex ejus ætatis moribus fieri non poterat; variis pœnis ad officium redire cogebantur. Sed temporis lapsu in tanta Clericorum multitudine Clericis minoribus discedendi à clericatu facta potestate, fori privilegio privati sunt, qui Ecclesiis non deserviunt, nec habitum & tonsuram deferunt clericalem (*f*), quasi sponte sua ad laicam redierint communionem.

CAPUT XXXIII.

De negotiis sæcularibus, à quibus Clericos oportet abstinere.

Clerici à negotiis sæcularibus debent abstinere.

§. I. Integra vita scelerisque pura & omnium virtutum apparatus veram Clericorum constituit honestatem. Verum præter vitia etiam à negotiis sæcularibus Clericos oportet asbtinere, non quia turpia sunt, sed quod à sacro distrahunt ministerio. Sane ut jampridem

(*a*) Burchar. lib. 2. cap. 174., Ivo part. 4. cap. 265., cap. 10. ext. de Vit. & honest. Cleric.
(*b*) Conc. Bituric. an. 1031. Can. VII.
(*c*) Cap. 4. ext. de Vit. & honest. Cleric.
(*d*) Cap. 7. ext. eod.
(*e*) V. Thomass. part. 1. lib 2. cap. 50. & seq.
(*f*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 7.

dem edixit Apostolus, *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit* (*a*): quibus verbis spectavit Paulus ad leges militares, quæ, ne milites negotia civilia suscipiant, interdicunt. Tam amplum est pastorale ministerium ut totum hominem requirat, nec facile ad alia negotia permittat distractionem. Unde apostolici Canones deponunt Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui curas suscipiunt sæculares (*b*). Clericis nostri Judaici præluserunt Sacerdotes, qui ut unice Deum colerent, in terræ tributum cum reliquis tribubus non venerunt, ad alimenta certam fructuum partem accipientes (*c*). Interim in hac causa, ut in aliis multis, mali mores bonas regulas in potestatem redegerunt suam, & inde usque à Cypriani ætate extiterunt ecclesiatici, qui divina procuratione contempta, sæculi negotiis seipsos implicarent. Sed præstat quidquid ejus rei est paulo distinctius enarrare.

Clerici ad quæstum vetantur negotiari.

§. II. Ab instituto Clericorum in primis (I) aliena est negotiatio quæstuosa, quæ ad augendam rem familiarem exercetur. Generatim antiqui Canones Carthaginenses, Arelatenses, Chalcedonenses aliique vetant, Clericos *turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis* exercere, & alienas conducere possessiones (*d*). Similiter Alexander III. sub anathematis pœna jussit, *ne Monachi vel Clerici lucri gratia negotientur* (*e*). Et sane quid magis ab instituto Clericorum, qui tantum ei, cui se consecrarunt, placere debent, alienum est, quam divino deserto ministerio, alienas conducere possessiones, & ex negotiationibus quæstum facere? Quin negotiationes subinde avaritiæ & turpis lucri macula adsperguntur: & inde judice Petro Blesensi (*f*), *Clericus, qui leviore comparat pretio, ut vendat carius, filius est avaritiæ, idolatra pecuniæ, servus mammonæ, & venundatus sub peccato.* Ipse Cicero sordidos æstimandos scripsit, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur (*g*). Unde merito Hieronymus, *negotiatorem Clericum & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge* (*h*). Verum hoc ipso quo Canones Clericis quæstuosas negotiationes interdicunt, ubi redditus Ecclesiæ admodum exigui sunt ad alimenta procuranda, iisdem modestam permittunt negotiationem, modo à sacro non distrahantur ministerio (*i*). Et in hac specie Cle-

(*a*) 2. ad Tim. II. 4.
(*b*) Can. apost. VII. & LXXXI.
(*c*) Cyprian. ep. LXVI. al. I.
(*d*) Conc. Carthag. III. Can. XV., Conc. Arelat. I. Can. al. II. Can. XIV., Conc. Chalc. Can. III.
(*e*) Cap. 6. ext. Ne Clerici vel Monachi.
(*f*) Epist. XVII.
(*g*) Cic. de Offic. lib. I. cap. 42.
(*h*) Can. IX. D. 88.
(*i*) Conc. Illiber. Can. XIX., cap. I. ext. Ne Clerici vel Monachi.

Clericis pro mercatura olim leges civiles dederunt à *chrysagyro* immunitatem (*a*), quod tributi genus erat negotiationibus indictum.

Et negotia laicorum procurare.

§. III. Porro (II) dedecet Clericos temporalia laicorum negotia procurare, & eorum fieri administros. Ita vetat Concilium Carthaginiense I. Clericos esse laicorum procuratores & ratiocinatores (*b*); quam eandem regulam Concilium Carthaginense III. & Chalcedonense renovarunt (*c*). Conquestus olim est Cyprianus, multos sui temporis Antistites, divina procuratione contempta, rerum sæcularium fieri procuratores, & derelicta cathedra, provincias circumire negotiationis quæstuosæ nundinas aucupantes (*d*). Sed mediis sæculis morbus adeo crevit, ut laicorum omnia negotia Clerici explicarent: quod factum ex ambitione ipsorum Clericorum, qui in laicos dominari cupiebant, & laicorum ignorantia, qui vel ipsas primas litteras & scribere nesciebant. Ita officia omnia, quæ scriptura explicabantur, apud magnates soli Clerici exercebant, quod Fleuryus observat (*e*). Quin eo abjectionis devenerunt, ut viliora quæque negotia laicorum obirent; nono enim sæculo qui tantillum ad mundi gloriam adspirabat, domesticum habebat Sacerdotem, non cui obediret, sed à quo licentiam, & vero etiam obedientiam in divinis & humanis exigeret. Unde teste Agobardo plerique Sacerdotes inveniuntur, *qui aut ad mensas ministrent, aut saccata vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus feminæ sedent, regant, aut agellos provideant* (*f*). Utinam cum barbaris sæculis malum desiisset!

Sordida officia Clericos dedecent.

§. IV. Jam vero Clerici (III) omnino debent abstinere à sordidis quibusdam opificiis & muneribus, quæ vel in se turpia sunt, vel christianum dedecent Sacerdotem, qualia officia tabernariorum, pistorum. Veteri stante disciplina, qua Clerici omnes ab Ecclesia accipiebant victualia, sordidis opificiis Clerici vocationem suam non deturparunt. Sed postquam contra antiquos Ecclesiæ mores cœperunt Episcopi ad ampliandam jurisdictionem sine titulo ordinare, passim quoscumque obvios ad tonsuram & minores ordines admiserunt. Quumque minores ordines matrimonium non excludant, hinc ingens Clericorum conjugatorum numerus, quorum multi pro alimentis turpibus se dederunt opificiis (*g*). Et hinc Bonifacius VIII. Cle-

(*a*) L. VIII. Cod. Th. de Episc. & Clericis.
(*b*) Conc. Carthag. I. Can. VI
(*c*) Conc. Carthag. III. Can. XV., Conc. Chalc. Can. III.
(*d*) Cypr. de Lapsis.
(*e*) Fleuryus tom. 19 Hist. Eccles. disc. præl. §. 10.
(*f*) Agobard. de Privil. & Jure Sacerd. §. 9. edit. Baluz.
(*g*) Fleuryus loc. cit. §. 8.

Clericos, qui *joculatores seu goliardos faciunt*, *aut bufones*, & Clemens V. Clericos in macellarii aut tabernarii officio persistentes, nisi resipiscant, clericalibus privant privilegiis (*a*). Sordida opificia deturpant quidem Sacerdotium; at artificiola honesta, quæ integrum non occupant hominem, certe Clericos non dedecent. Et jubent sane Patres Carthaginienses, ut *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque officii sui detrimento, paret* (*b*) adduntque, ut *omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiolum & litteras discant* (*c*). Illud in hac causa spectarunt Patres, ut Clerici Ecclesiæ oneri non essent, & ut aliud superflui, ad aliorum indigentiam sublevandam, haberent: idque exemplo Pauli Apostoli, qui, ne Ecclesiam pro victu gravaret, noctes & dies manibus suis operabatur (*d*). Ecclesiæ decretis ejus ætatis mores respondent; etenim testatur Epiphanius, non tantum renuntiantes, sed plerosque etiam Sacerdotes, ad exemplum Apostoli divinæ prædicationi externam manuum operam adjungere, quæ tamen nec à dignitate sua, nec ab Ecclesiæ cura, quam perpetuum gerunt, abhorreat, eaque ratione & sibi subsidia vitæ parare, & aliis egentibus operis sui lucrum impertire (*e*). Dabant vero his opificiis horas subcessivas, quibus à sacro vacabant ministerio: illudque laboribus etiam consequebantur, quod Satan nunquam eos offendebat otiosos.

Venationes Clericis interdictæ.

§. V. Inter sæcularia exercitia Clericis vetita etiam (IV) censetur venatio, quæ & eos à ministerio distrahit ecclesiastico, & pro mansuetudine morum duritiem instillat. Romani venationibus non dediti, satis enim deliciarum domi habebant, & præterea loca venatibus apta Roma longe distabant (*f*). At apud cæteros populos venationes excultæ: in primis vero antiquo gentis instituto Germanorum & Gallorum vita omnis in venationibus & studio rei militaris consistebat, quod Cæsar, Tacitus & Eginhardus testantur (*g*). Itaque antiquiores Clerici, præsertim qui moribus Romanis vivebant, generatim venationibus non dediti, nec antiqui Patres Clericos exhibent venatores; in quibus vero locis etiam in Italia venationes obtinebant, tempore jejunii christiani omnes eas debebant intermittere, quod abstinentia & sacrorum frequentatio non bene cum venationibus stabant (*h*). Sed inde per Gallias & Germa-

(*a*) Cap. un. de Vit. & honest. Cler. in 6., Clem. I. eod.
(*b*) Conc. Carthag. IV. Can. LII.
(*c*) Conc. I. Carthag. IV. Can. LIII.
(*d*) 2. Thess. 3. 8., Act. XX. 34. & seq.
(*e*) Epiph. LXXX. n. 6
(*f*) Scipione Ammirato discorsi supra Cornelio Tacito lib. 2. disc. 1.
(*g*) Cæsar. lib. 6. de B. G. cap. 21., Tacit. de M. G. cap. 15., Eginhar. in vita Caroli M.
(*h*) Can. XIII. D. 86.

maniam magno numero cœperunt esse Clerici venatores: etenim in clericatu mores gentis suæ Clerici non deposuerunt, & ita passim se dederunt venationibus (*a*). Promovit hunc venandi pruritum copia fundorum & silvarum Ecclesiis tradita, in quibus jure Germanico non communis omnibus venatio erat, sed fundis inhærebat, & partem fructuum & proprietatis constituebat, quod egregie pluribus monumentis Boehmerus illustrat (*b*). Ita factum, ut Clerici & monachi ad instar cæterorum reddituum venationibus uterentur, & accedente more gentis antiquo passim ad venandum prodirent. Ergo Episcopi, Presbyteri & Diaconi pro pauperibus accipitres, canes, falcones nutrire; & visitationes diœcesis potius venationis, quam religionis causa institutæ, quod constat ex falconibus & canibus, quos circumducebant. Emendant hos abusus Synodi Agathensis, Francica sub Zacharia, Regum Francorum capitularia & Romani Pontifices, quorum omnium decretis Clericis & Abbatibus canes, accipitres & falcones habere & venationes exercere interdicitur (*c*). Est vero observatione dignum, Canones & Pontificum decretales, quibus passim vetatur, Clericos esse venatores, in Gallia & Germania conditos, vel ad Gallos & Germanos pertinere; idque quia, ut scribit Nicolaus I. venationis vitium *plurimos etiam de clericali catalogo, genere duntaxat Germanos & Gallos irreverenter implicat* (*d*). Interim passim tradunt, quietam venationem, quæ retibus & laqueis fit, Clericis permitti, modo non sit adeo frequens, quæ à sacro avocet ministerio; quod Tridentini Patres admittere videntur, statuentes, canonicos *ab illicitis venationibus & aucupiis* abstinere (*e*).

Publica munera à Clericis aliena.

§. VI. Ab instituto quoque Clericorum (V) abhorrent civilia & publica munera; quæ immane à sacro distrahunt ministerio, & aliqua etiam prorsus eorum adversantur vocationi. Unus ex Canonibus apostolicis deponendos præcipit Clericos, qui se ad publicas administrationes demittunt (*f*). Et alter ita habet, *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus στρατεία σχολάζων, militiæ vacans, & utraque obtinere volens, Romanum scilicet magistratum & sacerdotalem administrationem, deponatur* (*g*). Nomine στρατείας & *militiæ* apud Romanos omnia officia publica veniebant tam civilia, quam militaria, quod Gothofredus & Pagius observant (*h*): ac proinde non recte Zonaras & Balsamon generalem Canonis ab omnibus publicis mu-

(*a*) Boehm. lib. 5. Jur. Eccles. tit. 24.
(*b*) Boehm. loc. cit. §. 2. & seq.
(*c*) Can. I. & seq. D. 34., & passim in capitularibus ap. Baluz.
(*d*) Cit. Can. I.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 12. V. Natal. Alexand. lib. 2. Theol. dogm. & Morin. de sacr. ord. cap. 5.
(*f*) Can. apost. LXXXI.
(*g*) Can apost. LXXXIII.
(*h*) Gothof. in l. 63. C. Th. de Decurion. Pagius Critic. in Baron. an. 375. n. 12.

muneribus interdictionem ad militaria tantum officia restringunt. Videtur hic Canon conditus ex sententia Concilii Antiocheni in Paulum Samosatenum, cui ab episcopatu dejecto inter alia crimina & hoc objectum quod *sæculares gesserit dignitates*, *& ducenarius* (quo nomine civiles quidam ministri veniebant, ita dicti, quod ducenta annua sestertia salarii nomine accipiebant (*a*) *vocari*, *quam Episcopus voluerit* (*b*). Ecclesiæ sententiam, quæ à militia Clericos arcet, christiani confirmarunt Imperatores, qui ne Clerici à cultu summæ divinitati debito abstrahantur, eos ab omnibus publicis muneribus exemerunt (*c*). Nec apud antiquos nisi rarissime & in casibus extraordinariis reperire licet Episcopos civilia munia obeuntes (*d*); quamvis negari non potest, statim à tempore Constantini ea ambire Clericos cœpisse.

Armata militia Clericis aliena.

§. VII. Sed rei dignitas postulat, ut nonnulla publica officia, unde Clericos oportet abstinere, specialiter percurramus, ab armata militia exordientes. Religionis Christianæ mitissimum ingenium omnino non patitur, ut altaris mancipati ministerio, in bellum prodeant pugnaturi, aut exercitus sint Imperatores. Arma Ecclesiæ certe non sunt temporalia, sed spiritualia, fini Religionis consentanea (*e*), salubres nempe admonitiones, castæ preces, & in contumaces excommunicatio. Et quamvis evangelium bella non improbet, utpote quæ ad tuendam reipublicæ majestatem sunt necessaria (*f*); attamen non probat, ut Sacerdotes, qui agni immaculati carnes contrectant, in bello aliorum sanguinem fundant. Quin ea debet esse Clericorum perfectio, ut adgressoribus victas præbeant manus, ne justa quidem utentes defensione. *Non pila quærunt ferrea*, inquit Ambrosius (*g*), *non arma Christi milites. Coactus repugnare non novi*, *sed dolor*, *fletus*, *orationes*, *lacrymæ fuerunt mihi arma adversus milites.* Unde Clerici etiam si ob justam sui defensionem alios occidissent, olim cadebant sacerdotio; & qui non erant ordinati ab ordinibus penitus rejecti sunt (*h*). Et hinc vulgata illa, *Ecclesiam non sitire sanguinem; Clericum irregularem fieri sanguinem effundentem*; *Clericorum esse Christo servire*, *militum sæculi sæculo*, & hujus generatim alia per Gratianum congesta (*i*).

Clerici ratione feudorum ad militiam coacti.

§. VIII. Interim vel post pacem à Constantino datam cœperunt Epis-

(*a*) Vales in Euseb. lib. 7. cap. 30.
(*b*) Euseb. loc. cit.
(*c*) Const M. ep. ad Anulin. ap. Euseb. lib. 10. cap. 7., l. 2. C. Th. de Episc.
(*d*) Theodor. lib. 2. cap. 30.
(*e*) 2. ad Cor. X. 4.
(*f*) Grotius de I. B. ac P. lib. 1. cap. 2.
(*g*) Can. III. c. 23. q. 8.
(*h*) Espen. part. 2. tit. 10. cap. 7.
(*i*) C. 23. q. 8.

Episcopi armis & bello delectari (*a*): & reipsa Christianus Lupus aliqua Antistitum profert exempla, quos quarto & quinto sæculis arma tractare non puduit. (*b*). Verum temporis lapsu crevit morbus, pluresque ex Clericis milites facti, quinimo ipsa militia inter eos evasit ordinaria. In hanc miseram conditionem Clericos redegerunt feuda, quæ inimica potius, quam liberali manu Principes Ecclesiis & monasteriis tradiderunt. Antiqua Longobardici juris principia Clericos feuda adquirere non sinebant, *quod desinat esse miles sæculi, qui factus est miles Christi* (*c*), quod recte & convenienter christianæ religioni Longobardi statuerunt. Sed sensim hi mores desueti & Principum astu, qui feudorum in Ecclesias largitionibus dominationes suas constabilitum ibant (*d*), & Clericorum ambitione, qui divitias & sæculi dignitates appetentes cæci ea etiam admiserunt, quæ propriæ repugnabant vocationi. Et ita passim Ecclesiæ & monasteria per Europam feuda adquirere cœperunt. Quum vero feudorum servitia militaria essent & equestra, hinc Episcopi & Abbates in sæculi milites versi & in expeditionibus Imperatores & Reges debuerunt comitari (*e*). Itaque Ecclesiæ cœperunt beneficiis collatis copiosum clientelarem alere militem, cui præerant Episcopi & Abbates, & inde natus est *militaris* Ecclesiarum *clypeus*, in quo insignia illustriorum ad Ecclesias pertinentium militum inscripta erant, qui omnes una cum reliquis nobilibus militibus in præcipuis anni festivitatibus splendide ornati ad Ecclesias & monasteria conveniebant, obsequentis animi sui signa exhibituri (*f*). Imperatoribus autem & Regibus ad bellum profectis, si Episcopi & Abbates expeditionem detrectarent, ipsi feudis privabantur, non tamen Ecclesiæ: neque enim quod pastor inique gesserat, Ecclesiæ erat imputandum, quod Guntherus & Otto Frisingensis diserte tradunt (*g*).

Canones contra Clericorum militiam olim sine effectu.

§. IX. Interea rerum dum Clerici & Monachi armis & hastæ vacabant, non cessavit Ecclesia eos ad officium revocare, militiam cum spirituali ministerio non convenire subinde inculcans. Vetuit Synodus Francica sub Zacharia, Clericos arma portare & in exercitum proficisci, tantumque eos excepit, qui ad sacra ministeria celebranda seligebantur (*h*). Et Synodus Meldensis deponi Clericos jussit, qui arma militaria sumunt, aut armati incedunt (*i*). Ipsi quoque Ro-

(*a*) Athanas. epist. ad solitar.
(*b*) Lupus schol. in Conc. Rhemens. Can. VI. edit. Venetæ tom. 4. oper.
(*c*) Lib. 2. Feudor. tit. 21.
(*d*) Guillelm. Malmesburiens. V. de Gest. Regum Anglor.
(*e*) Ziegler. de Episcopo milite cap. 11.
(*f*) Lupus loc. cit.
(*g*) Gunth. lib. 2., Otto Frising. lib. 2. cap. 12., Confer. Itter. de Feud. imper. cap. 20. §. 6.
(*h*) Ap. Baron. ad an. CIↃCCXLIV.
(*i*) Can. VI. c. 23. q. 8.

Romani Pontifices, quamvis etiam aliquando armati prodirent, armorum tamen usum pluries Clericis interdixerunt, in primis Zacharias (*a*), Nicolaus I., Joannes VIII. aliique (*b*). Sed hæc & alia decreta vix quidquam proficiebant. Quousque enim Ecclesiæ & monasteria feuda possidebant, nunquam Episcopi & Abbates militiam poterant declinare. Duorum alterum erat necessarium, ut nempe vel Ecclesiæ feuda abjicerent, vel militiam Principes remitterent. In tanta vero feudorum multitudine Ecclesiis datorum vix poterant Principes sine Imperii detrimento militiam Episcopis & Abbatibus remittere, ut mittam quod in tantis mediorum sæculorum motibus Principum intererat in comitatu Episcopos & Abbates habere. Et Episcopi & Abbates postquam sæculi dignitates degustarunt, ad feuda abjicienda animum non poterant inducere: quin eorum aliqui ipsam militiam tanquam Ecclesiæ honorem reputabant. Ergo non obstantibus tot Ecclesiæ decretis perstiterunt Clerici arma tractare, confirmatusque etiam videtur abusus exemplo Pontificum, & præsertim Leonis IX., viri alias sanctissimi, qui exercitibus imperarunt, vel militem aluerunt. Inde paulatim solutus est feudalis nexus, militiamque ære potius, quam corpore vasalli cœperunt exhibere: & ita hodie quamvis multæ Ecclesiæ & monasteria feuda possideant, non tamen Episcopi & Abbates adiguntur ad militiam, tantumque ex Episcopis alunt militem, qui domini sunt temporales.

Vetantur Clerici exercere jus gladii.

§. X. Porro ab initio Clericorum, non secus ac militia, *jus gladii*, seu merum & mistum imperium abhorret. Non est Ecclesiæ pœnas cum sanguine poscere: quod adeo verum est, ut non postrema officii pastoralis pars olim fuerit, pro reis capite damnatis apud civiles magistratus deprecari (*c*). Sed hoc summa posthabita ratione mediis sæculis sacræ Episcoporum potestati non tantum civilis jurisdictio, sed etiam jus gladii jure ordinario accessit: quod sub Ottone I. præcipue factum est, ubi Ecclesiæ jure gladii, velut feudo regali, cœperunt investiri (*d*). Nec enim videtur admittenda sententia Sixtini, Turkii aliorumque (*e*), qui censent, Ecclesias inde usque à Carolo M. jus gladii in suæ ditionis homines accepisse. Sane tempore Caroli M. comites & duces, qui erant magistratus ab Imperatoribus constituti, Provincias administrarunt, & jura populis dixerunt, adeo ut si prælati speciatim comitum ducumque potestate exempti essent, advocatis hæc sparta ab Imperatoribus committeretur. Semel autem jure feu-

(*a*) Ap. Baron. loc. cit. n. 8.
(*b*) Can. I. & XIX. c. 23. q. 8.
(*c*) V. supra cap. 6 §. 14.
(*d*) Schilt. ad cap. 1. Jur. Aleman. feud. §. 4., Boehmer. Jur. Can. lib. 3. tit. 20. §. 79. & seq.
(*e*) Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. n. 125., Turk. ap. Leuchfeld. in volum. Rer. Germanic.

feudi cum cæteris regalibus adquisitum jus gladii Episcopi per se exercebant, sin minus per se, saltem per sibi substitutos dominos & ballivos. Quin passim Clerici vicecomites & ballivi dominorum sæcularium facti sunt ad civilem & criminalem jurisdictionem exercendam. At hinc non parva labes in sacerdotium, præsertim postquam desuescere cœpit afflatu quodam juris Canonici sub Carolo M. mos inductus capitalia crimina pœnis civilibus publicisque pœnitentiis expiandi. Sed tanta labes deinceps ex parte emendata, variisque Canonibus statutum fuit, ut judicia criminalia per seipsos Clerici non exerceant. *Prohibemus*, inquit Alexander III. (*a*), *ne* (Clerici vel Monachi) *aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas: quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.* Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. *sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat* (*b*). Et hinc necesse fuit, ut Episcopi aliique Prælati, qui jure feudi obtinebant jurisdictionem, proprios constituerent officiales, quibus jus gladii committerent exercendum: qua commissione licet in pœnas sanguinis concurrant, non tamen fiunt irregulares: quod Bonifacius VIII. potius moribus receptis, quam sacerdotio accommodatius constituit (*c*); etenim summo jure regalia ab Episcopis abjici oportebat, quod ad honoris Ecclesiæ deminutionem spectare eo tempore videbatur.

Clerici à tutelis & curis repelluntur.

§. XI. Munera etiam publica sunt tutela & cura, unde Clerici quoque debent abstinere, ne à sacro distrahantur ministerio, & sæculi negotiis seipsos implicent. Antiqua est Ecclesiæ regula in Concilio quodam Africano, ut testatur Cyprianus (*d*), statuta, *ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat*, quando singuli divino sacerdotio honorati non nisi altari deservire & orationibus vacare debent. Inde quum quidam Geminius Victor de sæculo excedens, Presbyterum testamento tutorem constituerit, edixit Cyprianus, *ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentaretur*: quæ erat Concilii sententia, post mortem ecclesiastica privans communione quotquot testamentis suis Clericos tutores dedissent. Fiebat autem Africanus Canon tantum testatores, nam Clerici tutores testamento dati, non adhuc à publicis muneribus ipsis exemptione concessa, non videntur potuisse munus declinare. Et hinc tam severa pœna testatores erant deterrendi, ne in testamentis suis Clericos tutores constituerent. Sequentibus temporibus postquam à publicis muneribus Clerici immunes facti sunt, per leges ecclesiasticas & civiles Episcopis generali-

(*a*) Cap. V. ext. Ne Clerici vel Monachi.
(*b*) Cap. 9. ext. eod.
(*c*) Cap. fin. Ne Clerici vel Monachi in 6.
(*d*) Epist. LVI. al. I. ad Cler. Furuitan.

liter interdictum, ne tutores & curatores essent, cæteris vero Clericis tantum permissum tutelas legitimas suscipere, quod Canones & Justinianus statuerunt (*a*). Et ita à tutelis Clerici repelluntur, nec indigent excusatione.

Advocati munus Clericis alienum.

§. XII. Nec tantum tutelæ & curationis, verum etiam advocati munus minus congruit Clericorum vocationi. Est officium advocati ita comparatum, ut ferme totum hominem requirat, & tricis & malitiis assuescat. *Nos, qui in foro*, inquit Plinius (*b*), *variisque litibus agimus, multum malitiæ, quamvis nolentes, addiscimus.* Unde merito togata militia cum spirituali parum convenit. Jam pridem cautum est in constitutionibus Apostolicis ne Episcopus causas nummarias defendat (*c*). Et absurdum imo etiam opprobriosum Clericis esse, Justinianus edicit, si disceptationum forensium se peritos velint ostendere (*d*). Sed temporis lapsu postquam ignorantia occupavit Occidentem, quando Clerici tantum studiis vacabant, & judiciis sæcularibus sedebant assessores, spiritualis militia in forum intravit: quin judicia ipsa ecclesiastica implicatiora civilibus evaserunt. Ergo in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. statutum, ut sacrati Clerici, & qui stipendiis vivunt ecclesiasticis *coram sæculari judice advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant*, nisi propriam, vel Ecclesiæ suæ causam persequantur, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas persequi non possunt (*e*). Videtur Canon vetans majores Clericos *coram sæculari judice* advocati officium exercere, iisdem permittere in foro ecclesiastico postulare: quod, quamvis in eo forensibus tricis causæ ventilentur, passim tradunt interpretes.

CAPUT XXXIV.

De sacrorum Clericorum cœlibatu.

Sacerdotio convenit cœlibatus.

§. I. Inter cæteras Clericorum sacratorum virtutes censetur etiam cœlibatus, quo fit, ut à nuptiis etiam debeant abstinere. Ut enim ipse vidit Apostolus, nuptiæ à sacro abstrahunt ministerio, uxoratos uxori & sæcularibus negotiis illigantes (*f*). Et præterea omnino decebat, ut christiani Sacerdotes, qui eam contrectant victimam, quæ ipsissima virginitas & castitas est, omnino virgines, aut con-

(*a*) Conc. Carth. IV Can. XVIII. Conc. Chalced. Can. III. novel. CXXXIII. cap. 5.
(*b*) Lib. 2. epist ad Nepotem.
(*c*) Const. apost lib. 2. cap. 6.
(*d*) L. 41. Cod. de Episc.
(*e*) Cap. 1. ext. de Postul.
(*f*) 1. Cor. VII. 33.

continentes essent. Itaque Apostoli, qui maximam partem fuerunt uxorati (*a*), admisso apostolatu nec amplius duxerunt, & quas antea duxerant, reliquerunt uxores. *Apostoli*, inquit Hieronymus (*b*) *vel virgines, vel post nuptias continentes.* Exemplum Apostolorum inde plerique ex ordine sacerdotali imitati, aut virgines semper perstiterunt, aut post sacerdotium continentiam professi sunt, præsertim postquam ingens honos virginitati accessit, eamque ex laicis multi etiam admiserunt. Exeunte secundo sæculo hi fere videntur fuisse Ecclesiæ mores; scribit enim Origenes, sacrificium indesinens in iis impediri, qui necessitatibus serviunt conjugalibus, additque. *Unde videtur mihi quod illius est solius efferre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati* (*c*). Adeo vero sacerdotio adhæret continentia, ut inter ipsos gentiles eam Sacerdotes profiterentur, quorum aliqui vel penitus se evirabant, vel potu cicutæ aliisque medicamentis frigescebant (*d*). Quo spectat Tertullianus: *Continent etiam gehennæ Sacerdotes. Sacerdotium viduitatis & cœlibatum est etiam apud nationes.*

Sed primis sæculis Clericis non indictus.

§. II. Verum enimvero quamvis sacerdotio cognata sit continentia, non tamen primis Ecclesiæ sæculis generali lege videtur Sacerdotibus indicta. Initio christianæ religionis magna erat cœlibum inopia: virginitatem enim nec Græci exercebant, nec admittebant Judæi, & Romæ necessario vacandum erat rei uxoriæ, ad pœnas cœlibatus declinandas. Unde necessitas ipsa coegit ex uxoratis ad sacerdotium seligere: tantumque in hac causa Apostolus modum servatum voluit, ut unius uxoris vir esset Episcopus. Sequentibus temporibus postquam magni fieri cœpit virginitas, multi virgines ad sacerdotium promoti, at non propterea exclusi fuerunt uxorati. Commendabat interim Ecclesia Clericis continentiam, at rem proprio cujusque arbitrio reliquit: quæ Dupinii, Christiani Lupi, Natalis Alexandri aliorumque sententia est (*e*). Et vero unus ex sic dictis Canonibus apostolicis ita habet: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat, si vero rejecerit excommunicetur* (*f*). Et Synodus Neocæsareensis tum demum Clericos abjicere jubet uxores ante clericatum ductas, quum adulterium admittant, alias permittit cohabitationem (*g*). Porro Synodus Gangrensis Eustathium, tanquam hæreticum, damnavit, eo quod à Presbyteris conjugatis homines se separare debere docebat, eorumque be-

(*a*) Auctor. comm. in epist. Pauli sub nomine Ambrosii in 2. ad Cor. XI.
(*b*) Epist. L.
(*c*) Orig. hom. XXIII in Numer.
(*d*) Potter. Archæol. Græc. lib. 2. cap. 3.
(*e*) Lupus diss. rt. de Latinor. Episc. & Cleric. continentia tom. 4. oper. edit. Venetæ, N. Alexander diss. XIX. in 4 sæcul.
(*f*) Can. apost. VI.
(*g*) Conc. Neocæsar. Can. VIII.

benedictionem & communionem instar piaculi declinandam (*a*). *Si quis*, inquit Canon Gangrensis (*b*), *discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo se abstinet, anathema sit.* Versio hæc est Isidori, quæ textui Græco παρὰ πρεσβυτέρᾳ γεγαμηκότος, *de Presbytero conjugato*, conformis est, & errori, quem Patres damnatum ibant, adversatur: nam Dionysii versio, quæ habet, *quicunque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit*, potius moribus Ecclesiæ Romanæ, quam genuinæ Canonis sententiæ convenit. Antiquis quoque demonstratur monumentis, plures ex Episcopis & Presbyteris cum uxoribus & liberis ad exitum vitæ vixisse, inter quos fuerunt Chæremon Nili urbis Episcopus grandævus (*c*); Cæcilius (*d*) & Numidicus (*e*) ambo Presbyteri Carthaginenses, aliique plures quorum facile esset longum catalogum conscribere. Tantum observo sub persecutione Diocletianea permultos eo nomine ad Christum renuntiandum fuisse impulsos, ut suis uxoribus & liberis consulerent (*f*).

Clerici utebantur uxoribus.

§. III. Jam vero ejusmodi uxorati Clerici, qui cum uxoribus cohabitabant, rei uxoriæ vacasse videntur, nec recte Pagius & Schelestratus scribunt (*g*), eos ubi ordinandi erat, ex compacto ab uxoribus abstinentiam promisisse, cum iis velut sororibus cohabitantes. Etenim Pinytum Gnossiorum in Creta Episcopum ad cœlibatum fratribus suis imponendum propendentem Dionysius Corinthiorum Episcopus admonuit, *ne grave onus castitatis fratrum cervicibus, tanquam necessarium, imponeret, sed ejus, quæ in plerisque hominibus insit, infirmitatis rationem haberet* (*h*). Quæ Dionysii admonitio, uxoratos Clericos tum temporis ab uxoribus non temperasse, demonstrat. Porro placuit patribus Illiberitanis *in totum* sacratis Clericis & in ministerio positis usum matrimonii prohibere (*i*). Itaque ante, excepto tempore sacri ministerii ab uxoribus non temperabant. Testatur quoque Athanasius, Episcopos in episcopatu esse continentes, vel filios genuisse (*k*): & inde Dracontio Monacho Episcopato suadet, quod licet ei in episcopatu esse continenti & austeram vivere vitam, quamvis non deessent Episcopi, qui filios ex uxoribus procrearent. Ad hæc Novatus Presbyter Carthaginensis.

(*a*) Socrat. lib. 2. cap. 43.
(*b*) Conc. Gangr. Can. IV.
(*c*) Euseb. lib. 6. cap. 42.
(*d*) Pont. Vit. Cypriani.
(*e*) Cyprian. ep. XXXV. al. XL.
(*f*) Euseb. lib. 8. cap. 9.
(*g*) Pagius crit. in Baron. an. CCXLVIII. n. 6. Schelestrat. Eccles. Afric. dissert. III. cap. 4.
(*h*) Ap. Euseb. lib. 4. c. 23.
(*i*) Conc. Illiber. Can. XXXIII.
(*k*) Athanas. epist. ad Dracontium.

sis, calce uxoris utero percusso, ei abortionem importavit: & interim Cyprianus solam abortionem, non usum matrimonii culpat (*a*). Nec Novati facinus (quod multi asserunt) ante ordinationem admissum fuit, nam ita à Canone repellebatur, & vix dici potest ex ejus ætatis moribus, quando Clerici à populis eligebantur, Novati tam grave crimen tempore electionis omnes latuisse. Multa alia ad probandum usum matrimonii inter Clericos monumenta suppetunt; sed tantum observo, post imperatam Clericis continentiam, ubi uxorati ad sacerdotium promoventur, passim Canones edicere, ut ab uxoribus abstineant (*b*); nullum vero talis prohibitionis indicium in Canonibus apostolicis & Neocæsareensibus extare, manifesto argumento, dum cum uxoribus permittunt habitationem, corporum usum non vetare.

Primo vetitum majoribus Clericis nuptias novas contrahere.

§. IV. Sed temporis lapsu usus matrimonii maximam partem Clericis ablatus fuit. Vidit Ecclesia, cœlibatum sacrorum ministrorum ex iis ritibus esse, quos Apostoli ministerio verbi instantes & ad idololatriæ subversionem intenti, imperfectos & à posteris poliendos reliquerunt. Ergo omnium primum potestate contrahendi matrimonii post sacros ordines Clericos Ecclesia spoliavit: quod jus longe ante Concilium Nicænum receptum erat, illudque Paphnutius rei uxoriæ Clericorum assertor, *veterem Ecclesiæ traditionem* appellavit (*c*). Unde Synodus Neocæsareensis Presbyterum, qui deinceps conjugium attentaret, edixit deponendum (*d*). Et unus ex Canonibus Apostolicis ita decernit: *Innuptis, qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantum* (*e*). Verum non ita rigide vetabantur Diaconorum post ordinationem nuptiæ, ut ejus rei veniam Episcopis non liceret tempore ordinationis indulgere. Etenim Diaconis, qui in ordinatione protestantur, se sine uxoribus vivere non posse, Synodus Ancyrana an. CCCXIV. nuptias contrahere permittit, *propterea quod Episcopus eis licentiam dederit* (*f*). Et hæc erat Ecclesiæ Græcæ indulgens disciplina, nam in Ecclesia Latina ne Episcopi quidem indulgentia poterant Diaconi matrimonio copulari. Unde Martinus Bracarensis, qui ita refert Canonem Ancyranum, *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit, pro accipiendo matrimonio, & dixerit, se in castitate non posse manere, hic non ordinetur* (*g*), disciplinam potius Ecclesiæ La-

(*a*) Cyprian. epist. XLIX. al. 52. ad Cornel.
(*b*) Conc. Arausic. I. Can. XXII., Turon. II. Can. XII.
(*c*) Ap. Socrat. lib. 1. cap. 11.
(*d*) Conc. Neocæsar. Can. I.
(*e*) Can. apost. XXVII.
(*f*) Conc. Ancyr. Can. IX.
(*g*) Mart. Bracar. part. 1. cap. 3.

Latinæ, quam genuinam Canonis sententiam exhibuit: quod Antonius Augustinus admonuit (*a*).

Concilium Nicænum usum uxorum non interdixit.

§. V. Non tamen pridem conjugatis Clericis eodem tempore uxores interdictæ. Durius visum fuit, assuetos rei uxoriæ ab uxoribus avellere, quam cœlibes ad perpetuam arctare continentiam. Visum erat Patribus Nicænis legem novam in Ecclesiam inducere, qua qui essent sacris ordinibus initiati, sicut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, cum uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, minime dormirent. Et quum ea de re inirent suffragium, surrexit Paphnutius Episcopus, qui nec nuptias omnino contraxerat, nec unquam ad mulieres accesserat, & clamans honorabile esse conjugium & thorum immaculatum, nec posse omnes tam severam ferre disciplinam, Patresque insuper admonens, ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiis essent incommodo, Synodum ab indicenda uxoratis Clericis continentia deterruit, Patresque in ejus sententiam concesserunt, omnes uti posse matrimonio jam contracto. Rem late narrant Socrates & Sozomenus (*b*), & ex historia tripartita Gratianus in decretum inseruit suum (*c*). Veluti falsam & primum à Socrate confictam, ut faveret Novatianis, qui in matrimonii usu nullam admittebant inter Clericos & Laicos differentiam, hanc historiam amplissimi Cardinales Baronius & Bellarminus traducunt, suspectam vero Valesius habet (*d*). Sed celebriores inter nostros critici, in primis Dupinius, Natalis Alexander & ipse Christianus Lupus eam ut authenticam tuentur (*e*). Ut enim recte observat Dupinius, continentia Clericorum ad disciplinam pertinet: nec quod Clerici majores apud Latinos à multis sæculis continentes vivunt, consequitur & primis sæculis & apud Orientales etiam ita vixisse. Nec quod Socrates fuit Novatianus, recte concluditur, historiam Paphnutii, quæ ad tuendos errores Novatianos non facit, confinxisse, præsertim quando ipse Socrates in causa matrimonii differentiam inter Clericos & Laicos agnoscit, nam laicos matrimonio non adstrictos uxorem ducere posse non negat, Clericos vero post ordinationem negat posse nuptiis copulari (*f*).

Post Concilium Nicænum Clerici orientales continentes.

§. VI. Interim post Concilium Nicænum passim etiam in Oriente majoribus Clericis castitas indicta. Forsan illi Episcopi, quibus

(*a*) Lib. 1. de emend. Grat. dial. 10
(*b*) Socrat. lib. 1. cap. 11., Sozomen. lib. 1. cap. 23. edit. Vales.
(*c*) Can. XXII. D. 31.
(*d*) Vales. not. in cit. Socrat. loc.
(*e*) Dupin in Biblioth. vol. 2., N. Alexand. dis. 19. in 4. sæculum prop. 1. Lupus diss. de Latin. contin. cap. 2.
(*f*) N. Alexand. loc. cit.

bus in congressu Nicæno visum erat, Clericos ab uxoribus abstrahendos, & intercedente Paphnutio non obtinuerunt, ad Ecclesias suas reduces sibi subjectis Clericis continentiam imperarunt, quo factum, ut sensim per Orientem fere Clerici majores ab uxoribus continerent. Sane de tempore suo testis locupletissimus est Hieronymus (*a*), qui contra Vigilantium & ejus asseclas, castitatis hostes infensissimos, testatur, in orientali proprie sic dicta diœcesi & Ægyptiaca & in universo Occidente, Clericos castitatem admisisse. *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Porro Synesius ad ordinationem declinandam inter alia professus est, se à nuper ducta uxore nec posse, nec velle divertere (*b*): quod indicat in Ægypto hoc tempore Episcopos conjugatos rei uxoriæ non vacasse. Ad hæc Epiphanius, Salaminensis Episcopus & Cypriorum metropolita scribit (*c*), sacerdotium ex virginum & renunciantium ordine constare, sin minus, ex laicis, *qui à suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur.* Quod idem alibi adfirmat, additque, continentiam servari præcipue in iis locis, *ubi ecclesiastici Canones accurate servantur*, & præter Canonis auctoritatem ob ignaviam & vero etiam hominum penuriam, dum non facile inveniuntur, qui admittere velint clericatum, evenire, quod in aliquibus locis Presbyteri, Diaconi & Hypodiaconi liberos suscipiunt (*d*). Vera scribere Epiphanium non videtur dubitandum, quamvis forsan deessent in Oriente hi Canones, quos alicubi adfirmat non servari. Et veri speciem habet, nomine *Canonum* Epiphanium intellexisse tum receptos per orientem mores, qui *Canonis* nomine laudari solent (*e*).

Inde in Oriente solis Episcopis indicta continentia.

§. VII. Non diu in sancto proposito videntur stetisse Clerici orientales, nam quinto sæculo passim utebantur matrimoniis ante ordinationem contractis. Et quidem Imperatores Honorius & Theodosius junior eo ipso quo utebant, Clericos cujuscunque gradus sororiis consortiis deturpari, diserte excipiunt uxores, quarum cum viris cohabitationem veluti legitimam & honestam admittunt (*f*). Et Socrates de sua ætate testatur, multos etiam ex Episcopis in episcopatu liberos suscepisse, reliquos vero omnes, qui ab uxoribus abstinebant, nulla lege, sed sua sponte id elegisse: tantumque in Thessalia, Macedonia & Achaja continentiam ab uxoribus servasse, cujus moris in Thessalia auctorem facit Episcopum Helio-

(*a*) Advers. Vigilant.
(*b*) Synes. ep. CV.
(*c*) Epiph. Expos. fid. cathol. n. 21.
(*d*) Epiph. hær. 59.
(*e*) V. sup. proleg. cap. 2. §. 22.
(*f*) L. 19. C. de Episc. & Cleric.

liodorum, dum libros amatorios, *Æthiopicos* inscriptos, componebat (*a*). Videtur ita laxata disciplina abusu agapetarum, quibus, dum ab uxoribus Clerici continebant, conspurcabant sacerdotium, satiusque visum Clericos uti legitimis nuptiis, quam, sub nomine agapetarum & spiritualium sororum, concubinis. Inde reliquis Clericis matrimonii usu relicto, solis Episcopis perpetua indicta continentia, statuitque Justinianus, in Episcopos eligi Monachos, aut certe Clericos, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem habeant, aut illi saltem non cohæreant (*b*). Et ita perduravit apud Orientales disciplina, quæ in Concilio Trullano confirmata (*c*) ad hæc usque tempora perseverat. Illud vero ex antiqua disciplina servavit Synodus Trullana, ut quo tempore Presbyteri & reliqui inferiores Clerici sacra contrectant ab uxoribus abstineant. Sed omnino intolerabiles sunt Trullani Patres, dum tacite Ecclesiam reprehendunt Romanam, quæ etiam Presbyteris & Diaconis imperabat continentiam. Unde in Ecclesia Romana Trullani Canones recepti non sunt, nisi quatenus probatis moribus non adversarentur.

Sæculo IV. in Occidente sacris Clericis indicta continentia.

§. VIII. Atque hæc fuerunt fata continentiæ clericalis apud Orientales; sed in Occidente res exitum habuit feliciorem. Ante Nicænam Synodum Illiberitani Patres in totum Episcopis, Presbyteris & Diaconis, *vel omnibus Clericis positis in ministerio* à pridem ductis uxoribus indixerunt continentiam (*d*). Sed post Concilium Nicænum multo serius ad rem perficiendam Pontifices & Concilia incubuerunt. Et Siricius quidem summus Pontifex Episcopis, Presbyteris & Diaconis præcepit, ut ab uxoribus pridem ductis continerent (*e*), quo statuto potius receptæ disciplinæ vim addidit, quam aliquid innovavit: quod idem Pontifices sequentes Innocentius I. & Leo M. confirmarunt (*f*). In Concilio Carthaginensi II. an. cccxc. quod Apostoli docuerunt & ipsa servavit antiquitas, Patres custodire volentes, statuerunt, *ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant* (*g*). Unde patet, Africanis imposuisse Synodum Trullanam, dum asserit, Africanæ Ecclesiæ continentiam tempus contrectationis Sacramentorum tantum spectasse (*h*). Sequentia Africana Concilia & reliqua in Occidente celebrata eandem iterarunt legem, & ita uxoratis ad diaconatum vel sacerdotium vocatis præcipiunt, ut ab

(*a*) Socrat. lib. 5. cap. 22.
(*b*) Novel VI. cap. 1. & 2.
(*c*) Conc. Trull. Can. XII. & seq.
(*d*) Conc. Illiber. Can. XXXIII.
(*e*) Siric. epist. ad Himer. Tarracon. cap. 7. & epist. 4. ad Afr. cap. 9.
(*f*) Innoc. ep. II. ad Victric. Rothomag., Leo M. ep. LXXXIV. ad Anastas. Thessal.
(*g*) Conc. Carth. II. Can. II.
(*h*) Conc. Trull. XIII.

ab uxoribus ex compacto abstineant, easque deinceps habeant tanquam sorores (*a*).

Varia disciplina de continentia minorum Clericorum.

§. IX. Et hactenus dicta Clericos spectant hierarchas. Etenim quantum ad minores Clericos, inter quos olim etiam hypodiaconi censebantur, variæ fuerunt de eorum continentia Ecclesiarum consuetudines. Unus ex Canonibus apostolicis etiam post acceptum ordinem tantum lectoribus & cantoribus nuptias permittit (*b*): quæ eadem disciplina tempore Concilii Chalcedonensis in quibusdam provinciis orientalibus servabatur (*c*). In Ecclesia Africana lectores quum ad annos pubertatis veniebant, cogebantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri: cæteri vero post Diaconos Clerici ad continentiam maturiori ætate cogebantur (*d*), hoc est quum matura essent ætate non amplius sinebantur ad nuptias convolare. Usus vero ante contracti matrimonii minoribus Clericis fere nullibi videtur interdictus, exceptis tamen hypodiaconis, qui in multis orientalibus Ecclesiis ætate Epiphanii (*e*), & Romæ tempore Leonis M. (*f*) etiam à pridem susceptis uxoribus continebant. Initio forsan sæculi quarti Hispanis hypodiaconis Illiberitani Patres indixerunt continentiam (*g*), sed hæc disciplina aut non servata, aut non diu in Hispania obtinuit. Videntur Ecclesiæ, quæ olim hypodiaconis fibulam imposuerunt, id ea ratione fecisse, quod proxime ministrantes Diaconis sacra mysteria aliquatenus contrectabant. Verum inde apud Latinos reliquis minoribus Clericis etiam post ordines relicta matrimonii contrahendi potestate, hypodiaconi omnes ad perpetuam continentiam adacti sunt: quod in Gallia Synodus Aurelianensis III. an. IↃXXXVIII. (*h*), in Sicilia & Brutiis Gregorius M. (*i*) & in Hispania Synodus Toletana VIII. an. IↃCLIII. (*k*) stabili regula statuerunt.

Mediis sæculis Clerici incontinentes.

§. X. Perfecit quidem Ecclesia Latina causam cœlibatus sacrorum Clericorum, eos omni tempore etiam ab uxoribus ante ordinationem ductis jubens abstinere; verum mediis sæculis aurum istud versum est in scoriam. Plus profuit Græcis disciplina relaxata, quam Latinis professio virtutis. Etenim admissæ castitatis Cleri-

(*a*) N. Alexand. cit. dissert. prop. 2.
(*b*) Can. apost. XXVII.
(*c*) Conc. Chalced. Can. XIV.
(*d*) Conc. Carthag. III. Can. XIX.
(*e*) Epiph. hær. LIX.
(*f*) Leo M. ep. LXXXIV. ad Anast. Thessal.
(*g*) Conc. Illiber. Can. XXXVIII.
(*h*) Conc. Aurel. II. Can. II.
(*i*) Greg. M. lib. 1. ep. XLII., & lib. 3. ep. V.
(*k*) Conc. Tolet. VIII. Can. VI.

rici, quin etiam Monachi, obliti, ita proruerunt in vetitum nefas, ut vel nuptias palam contraherent, vel sibi concubinas adjungerent, idque de more laicorum, qui vel in matrimonio vel in concubinatu vivebant. Barbarorum in Europam incursiones, Synodi provinciales intermissæ, bona ecclesiastica in stipendia militibus tributa, & Episcoporum ignorantia & tolerantia Clericos & Monachos maritos & concubinarios fecerunt. Scilicet in tantis bellorum tempestatibus Clerici & Monachi, præsertim per Gallias, ab Ecclesiis & monasteriis pulsi, quum non haberent unde vitam sustinerent, passim militiam amplexi sunt, & ex uno scelere paulatim in profundum malorum lapsi, dum non esset, qui argueret, matrimonia contraxerunt, aut sibi adsciverunt concubinas. Instituta sub Pipino & Carolo M. communis Clericorum vita collapsam quidem reparavit disciplinam; sed inde adempto Carolino sanguini occidentali imperio, & Sede Apostolica post nefandam Formosi barbariem per lupos & mercenarios invasa, in graviora mala prolapsi sumus. Percusso pastore, oves dispergentur. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Hinc plures per Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam non solum Diaconi & Presbyteri, verum etiam Episcopi abjecta castitate, aut publica attentarunt matrimonia, eaque non semel iterarunt, aut publice concubinas aluerunt. Quin, ut testatur Desiderius, Abbas Cassinensis, postea sub nomine Victoris III. summus Pontifex, *hæc pessima & execranda consuetudo* qua Presbyteri & Diaconi attentabant matrimonia, aut alebant domi concubinas, *intra urbem maxime pullulabat, unde olim religionis norma ab ipso apostolo Petro ejusque successoribus ubique diffusa processerat* (*a*).

Resistunt Ecclesiæ Clerici incontinentes.

§. XI. Fœda hæc licentia usque ad XI. sæculi medietatem Clericorum perdidit continentiam, quo tempore Latina Ecclesia à tantis malis cœpit respirare. Nempe miseratus tandem Deus Ecclesiam suam tandiu à mercenariis occupatam, optimos immisit Pontifices, malis Ecclesiæ reparandis quam maxime intentos. Primus, aut certe inter primos ad pugnam contra uxoratos & concubinarios Clericos Leo IX. signum extulit, cujus vestigia ingressi sunt sequentes Pontifices; sed in primis Gregorius VII. eo nomine celebris. Rem gnaviter quoque promoverunt multi occidentales Episcopi, sed præsertim Petrus Damianus, monachus primum & inde Cardinalis Episcopus Hostiensis, contra Clericos incontinentes pugnavit. Pluribus celebratis Conciliis Pontifices Presbyteros, Diaconos & Hypodiaconos incontinentes excommunicarunt, ab eis Missas audiri & alia Sacramenta administrari vetuerunt, concubinasque Ecclesiis, unde Presbyteros abstraxerant, addixerunt in servitutem: *æquitatis sci-*

(*a*) Desid. Mirac. S. Bened. ap. Mabil. sæc. IV. Benedict. part. 2.

scilicet jure, inquit Petrus Damianus (*a*), *ut quæ sacris altaribus rapuisse servorum Dei convincuntur obsequium, ipsæ hoc saltem Episcopo per deminuti sui capitis suppleant famulatum.* Videtur hausta hæc pœna ab jure antiquo Romano, quo mulieres liberæ, quæ servis alienis jungebantur, dominis servorum addicebantur in servitutem; quamvis in hac statuenda servitutis pœna videntur Synodi fines suæ potestatis excessisse. Interim Clerici carnales è luto incontinentiæ eluctari ægre ferentes, infremere, tumultuari, rationibus & auctoritatibus resistere, jugum continentiæ grave esse, malle se sacerdotium, quam conjugium deserere, Pontifices quod matrimonium damnarent, tanquam hæreticos traducere, & id genus alia dictitare. In primis contra Petrum Damianum, qui pro extirpanda Clericorum incontinentia Mediolanum legatus abierat, adeo commoti sunt Clerici, ut populum Mediolanensem ad ipsum tanquam novæ legis pseudo-prædicatorem lapidandum concitarint, quod ipse Damianus testatur, *Mediolanensis*, inquiens, *civitas in seditionem versa, repentinum nostrum minabatur interitum* (*b*).

Sed tandem iterum continentiam admittunt.

§. XII. Interim quicunque fuerint Pontificum & reliquorum Episcoporum conatus, hydra semper revixit, nec ex omni capite potuit obtruncari. Hinc obstabat Clericorum in luto hærentium contumacia, inde sæculi Principes, qui aliquando ex rationibus politicis incontinentium Clericorum sumebant patrocinium. Quin in Anglia ad exstirpandas Clericorum concubinas male cessit regia potestas implorata. Etenim Episcopi Regi Henrico I. an. CIOCXXIX. concesserunt *justitias de focariis Sacerdotum, quæ res postea cum summo dedecore terminabatur; accepit enim Rex pecuniam infinitam de Presbyteris pro suis focariis redimendis*, quemadmodum Matthæus Parisiensis testatur. (*c*). Nec concubinarum redemptio in tantis Ecclesiarum divitiis Presbyteris difficilis erat. Sordidissimum hunc censum inde à manibus regiis extortum (quod nefas dictu est) Episcopi & præsertim Archidiaconi & Decani sibi appropriarunt. Unde sæculis XII. & sequentibus passim occurrunt Clerici uxorati & concubinarii. Sæculo XIII. Giraldus Cambrensis testatur (*d*), in Anglia Canonicos Manuenses & Walneficos *sub alis Ecclesiæ cathedralis* publice concubinas retinuisse: demonstratque Henricus Whartonius, eas communi quodam errore uxorum loco fuisse habitas. Et tempore Innocentii III. Sveciæ Sacerdotes habebant uxores, ad quas retinendas cujusdam Pontificis privilegio se dicebant communitos (*e*). Apud nos sub Regibus Andegavensibus adeo multi ex Clericis alebant concubinas, earumque abusus tam altas radi-

ces

(*a*) Petrus Damianus lib. 4. ep. III.
(*b*) Lib. 5. ep. XVI.
(*c*) Matth. Paris. ad an. 1129.
(*d*) Dial. de Jure & statu Manuensis Ecclesiæ ap. Whartonium in Anglia sacra part. 2.
(*e*) Innocent. III. lib. 4. ep. MXVIII.

ces egerat, ut Clerici contenderent, eas fori exemptione gaudere, tanquam quæ ad suas familias pertinerent (*a*): & quod mirum, Rex Robertus edictis de laicorum concubinis noluit Clericorum concubinas obligari (*b*). Sensim ergo decrevit morbus, tandem vero fere per omnia extinctus. In schismate inde Occidentali Clerici attentarunt matrimonia, & in comitiis Tridentinis Germani & Galli pluries postularunt Clericis uxores restitui: at Patres posthabitis omnium postulatis antiquam Occidentalem confirmarunt disciplinam, statuentes continentes esse qui sacris ordinibus initiantur, & matrimonia post sacrum ordinem & professionem monasticam contracta omnino nulla esse & invalida (*c*).

CAPUT XXXV.

De ascetis.

Qui erant ascetæ apud gentes.

§. I. Superest' ut de ascetis & Monachis agamus; quæ tractatio longe lateque diffuso monachismo, & in tot familias Monachis distinctis, bonam juris canonici occupat partem. Vox *ascesis* philosophorum propria fuit, qua ii designabant virtutis & abstinentiæ ad vitia coercenda exercitationes. Et hinc apud gentes *ascetæ* erant rigidi virtutis Sacerdotes, qui vitam duriorem ad philosophiæ regulas exactam ducebant. Certe Artemidorus (*d*) philosophum *ascetam esse*, ait, *quem neque nuptiarum cura tangeret, neque divitiarum ambitio sollicitaret.* Et vero vitam asceticam, seu philosophicam nedum in doctrina, sed præcipue in usu & exercitatione virtutum veteres ponebant, ut Jo. Franc. Buddeus pluribus docet (*e*). *Philosophia*, inquit Cicero, *virtutis continet & officii & bene vivendi disciplinam.* Nec Socrates aliud spectasse videtur, asserens, totam philosophorum vitam mortis esse commentationem (*f*). Plures vero hujusmodi ascetas tum ex barbaris, tum ex Græcis philosophis laudatus Cicero recenset (*g*), eorumque aliqui tam longe ascesim produxerunt, ut ultra modum prosilierint. Ita de Indorum sapientibus, quos dicunt Gymnosophistas, Tullius memoriæ prodidit, *quod nudi ætatem agunt & Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore: quumque ad flammam se applicaverint, sine gemitu aduruntur.* Et apud Græcos eo nomine celebres Cynici, qui modum decori & virtutis egressi, ascesim risui exposuerunt.

Chris-

(*a*) Istoria civile del regno di Napoli, lib. 19. cap. 5. n. 3.
(*b*) Chioccarel. MS. giurisd. tom. 10.
(*c*) Trid. sess. XXIV. Can. IX.
(*d*) Lib. 4. cap. 35.
(*e*) Disser. ασκησεως philosophica in analect. philosophiæ.
(*f*) Ap. Cic. lib. 1. Tusculan.
(*g*) Cic. lib. 5. Tuscul.

Christiani ascetæ.

§. II. Sed vita ad virtutis regulas exacta præcipue apud christianos exculta fuit, idque inde ab initio christianismi. Est christiana religio vera philosophia, quæ gentium erroribus emendatis ad verum summumque bonum adsequendum viam adaperuit, in quo ethnica deficiebat philosophia. Quid enim homini tot miseriis & tenebris obsito melius & jucundius adnunciari poterat, quam esse alteram vitam, eamque æternam, in qua justi mercedem accipiunt & coronantur? Hinc proniores christiani ad durius vitæ genus excolendum, quo ad apicem perfectionis contenderent. Curabant quidem generatim primævi christiani, ut ad Christi exemplum vitam instituerent suam; at eminebant inter eos multi, qui austeritate & abstinentia cæteros anteibant. Atque hi nomine ethnicæ philosophiæ retento *ascetæ* & *philosophi* audierunt. *Qui disciplinæ*, inquit Claudius Salmasius (*a*), *Christianæ diligentissimos & exactissimos cultores præstare volebant in omnibus, hi christiani philosophi erant & dicebantur.* Et ob eam causam eos Socrates ἀκριβῶς χριστιανίζοντας appellat(*b*).Alio nomine christiani philosophi *Gnostici* dicebantur. Certe Clemens Alexandrinus in scriptis suis omnibus christianum philosophum γνωστικὸν appellat (*c*). Et Athanasius ascetas in Ægypto, vitam contemplativam agentes, γνωστικοὺς similiter dicit (*d*); testaturque Socrates (*e*), Evagrium Ponticum librum in usum ascetarum edidisse, quem *Gnosticum*, hoc est institutionem de vita contemplativa, inscripsit. Sane *Gnosticus* homo est scientia & cognitione præditus, & christiana religio cognitionem & sapientiam continet: profanaruntque profecto sanctum *Gnostici* nomen hæretici illi, qui sub nomine *Gnosticorum* noti sunt.

Varia genera ascetarum apud christianos.

§. III. Jam vero quemadmodum varia sunt durioris vitæ exercitia, ita quoque varia fuerunt & vero etiam sunt genera ascetarum. Alii non minus quam Pythagorei carne & rebus vitam habentibus abstinebant, non tamen ex anili fabula de animorum in corpora transmigratione, sed ut corpus in servitutem redigerent, *extinguere volentes membra terrena, scortationem, impuritatem, lasciviam, affectus pravos & concupiscentias*, ut loquitur Origenes (*f*). Alii abstinebant à nuptiis, non quia eas improbarent, sed quia *se spandonatui obsignabant propter regnum Dei* (*g*). Utrumque hoc genus ascetarum conjungunt Canones apostolici, dum decernunt, Episcopum aut aliquem

ex

(*a*) Ad Tertull. de Pallio.
(*b*) Lib. 6 cap. 37.
(*c*) Clemens Alexandr. Strom. 1. 2. & 6.
(*d*) Ap. Socrat lib. 4. cap. 23.
(*e*) Socrat. loc. cit.
(*f*) Contra Celsum lib. 5.
(*g*) Tertull. lib. 2. de Cult. femin. cap. 9.

ex clero, qui nuptiis, carnibus & vino εὐ δι' ἄσκησιν, *non propter exercitationem*, sed propter abominationem abstineat, corrigi, aut deponi & ab Ecclesia abjici (*a*). Alii plus æquo cibis abstinebant, & jejuniis corpus macerabant, quorum nonnulli eo severitatis evaserunt, ut per duos, tres, quatuorve dies, aut etiam per integram hebdomadam jejunia prorogarent. *Nonnulli*, inquit Epiphanius (*b*), *ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant: alii totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt.*

Sacræ Ecclesiæ Virgines.

§. IV. Inter antiquos ascetas illustriorem locum obtinent sacræ Ecclesiæ virgines & viduæ, quæ se Christo dicabant, perpetuam promittentes castitatem. Gentibus virginitas opprobrio fuit, etiam apud Judæos; at apud christianos initio evangelicæ prædicationis cœpit celebrari, & inter asceticas perfectiones referri. Etenim stimulis carnis, quo ipsa natura inclinat, resistere magna ascesis est, eorumque propria, qui asperum vitæ genus profitentur. Ipso sæculo secundo magna erat virginum copia, quod Origines testatur (*c*), semperque deinceps plures fuerunt. Edebant autem virgines propositi sui in Ecclesia publicam professionem, & ab Episcopo consecrabantur, sacrumque velamen accipiebant, idque matura vigintiquinque (*d*), aut quadraginta annorum ætate (*e*), et secundum Basilium (*f*) etiam anno decimosexto, aut decimoseptimo, quo rationis complementum habere credebantur. Per consecrationem vero inter personas ecclesiasticas referebantur, & Canoni inserebantur Ecclesiæ (*g*), unde *canonicæ* audierunt. Vivebant vero in domibus paternis, & à parentibus suis, vel, necessitate ita postulante, ab Ecclesia accipiebant alimenta (*h*): quin in Ecclesia peculiarem habebant locum, ad quem religiosæ & nobiles matronæ certatim currebant, earum escula petentes (*i*). Quod si contra professionem suam inde minus caste viverent, aut matrimonium attentarent, excommunicabantur, & publicæ subjiciebantur pœnitentiæ, quod ex Canonibus Ancyranis & Chalcedonensibus constat (*k*). Sed inducto monachismo paulatim virginum ecclesiasticarum in privatis ædibus viventium numerus minui cœpit, sensimque inductum, ut extra cœnobia nullæ fierent virginum professiones, quæ perpetua tenerentur castitate.

As-

(*a*) Can. Apost. LI.
(*b*) Epiph. Exposit. fid. n. 22.
(*c*) Orig. contra Celsum lib. 7.
(*d*) Conc. Carth. III. Can. IV.
(*e*) Conc. Agath. Can. XIX.
(*f*) Basil. ep. Can. XVIII.
(*g*) Socrat. lib. 1. cap. 17.
(*h*) Conc. Carthag. III. Can. XXXIII.
(*i*) Ambros. ad Virgin. lapsam cap. 6.
(*k*) Conc. Ancyr. Can. XIX., Conc. Chalc. Can. XVI.

Ascesis non requirit solitudinem.

§. V. Fuerunt & vero etiam esse possunt plura alia genera ascetarum, quæ Binghamus & plenius Mejerus recensent (*a*). Illud vero hic observandum, ascesim natura sua ab hominum consortio non abhorrere, & non minus in solitudine, quam in frequentia civitatum exerceri posse, quod Valesius, Tillemontius (*b*) aliique recte observant. Generatim tamen primis fere tribus sæculis christiani philosophi in civitatis frequentia vixerunt, nec cogitarunt de amplectenda solitudine. Etenim religio christiana, quæ omnes tanquam fratres amare jubet, potius in hominum frequentia, quam in solitudine ascesim inculcat, ut in societate positi exercitia charitatis facilius cum aliis communicemus. Et profecto errat Christophorsonus, qui nomine *ascetarum* in trium priorum sæculorum monumentis Monachos intelligit. Monachatus enim, qui ascesi addidit vel solitudinem vel vitam sub regula & præposito communem, in Ecclesiam serius esse cœpit: & ex hoc tempore omnes Monachi fuere ascetæ, non è converso ascetæ omnes fuerunt Monachi. Interim quotquot primis sæculis duriorem agebant vitam, à peccatis, quatenus fieri poterat, etiam abstinebant: nec nisi posterioribus sæculis emerserunt, qui dum parum de justitia curant, corpus aliquando redigunt in servitutem.

CAPUT XXXVI.

De origine & progressu Monachorum.

Primæva monachatus *natura.*

§. I. Apud christianos *monachatus* natura & origine sua status est continuæ ascesis & pœnitentiæ, quo semel initiati vel soli vel in communi sub propria regula à frequentia civitatum separati vivunt, Scilicet finis primarius monachatus in propriæ salutis cura unice consistit, ad quam obtinendam Monachi continua se exercent ascesi. Unde status Monachorum *non docentis, sed plangentis* est, ut Hieronymus (*c*) observat. Ita ascesis monastica necessario postulat vel vitam solitariam, vel communem quidem, sed propriis ædibus distinctam, ut Monachi plus otii & opportunitatis habeant, ad magnum pœnitentiæ negotium peragendum. Et quî quæso status plangentis in civitatum frequentia potest obtineri? Vidit id semper Ecclesia, & hinc semper aversata est Monachos, qui pro solitudine ti-

(*a*) Bingh. lib. 7 Orig. cap. 1. §. 3. Mejer. de Ascetis.
(*b*) Vales. not. in Euseb. de Martir. Palæst. cap. 11., Tillemont dans les Memoires pour servir à l' Histoire eccléslast. tom. 8.,
(*c*) Hieron. ep. LIII. ad Ripar.

civitatum frequentia delectantur (*a*). Et Antonius anachoretarum parens, testibus Hieronymo & Sozomeno (*b*), dicere solebat, pisces aquis nutriri, Monachis vero ornamento esse solitudinem, Monachosque ad urbes accedentes monasticam amittere gravitatem, non secus ac pisces aquis egressi, vitam amittunt. Quæ quum ita sint, primi christiani, qui in Palæstina in communi vixerunt, à Monachis longe erant diversi. Etenim communis christianorum vita tantum consistebat in abdicatione temporalium & in distributionibus quæ ad omnes, prout opus erat, porrigebantur (*c*); nec christiani inclusi in unis ædibus morabantur nec unice propriæ studebant saluti.

Solitaria & communis vita apud gentes.

§. II. Vita ascetica vel in solitudine vel in communi etiam apud gentes & Judæos exculta est, idque quo melius ascetæ philosophiæ vacarent, aut magis inter sodales suos humanitatem exercerent. Et quod spectat ad gentiles illustria exempla de philosophis solitariam vitam agentibus philosophiæ exhibent annales. De Druidis refert Cæsar, eos in solitudinibus habitasse, ita tamen ut singulis annis simul convenirent, eoque conventu summam exercuisse potestatem (*d*). Vitam quietam & solitariam Pythagoram, Democritum, Anaxagoram coluisse Tullius memoriæ prodidit (*e*). Speciatim Democritus vitam in montibus ducens, olera & herbas comedebat (*f*), & ut magis solus esset, seipsum oculis orbavit. Nec minus antiqua monumenta philosophos, qui in communi vivebant, exhibent. Quis nescit, Pythagoreos domus recessus habuisse, quo quotquot ad certam ætatem perveniebant, se recipiebant, ubi communem ducentes vitam, se mutuo adjuvabant? Poterant quidem ab instituto Pythagorici recedere, sed tam inominatus erat hujusmodi recessus, ut deficientes solemni funere, tanquam mortuos deplorarent (*g*). Similiter quælibet philosophorum secta apud Græcos statis diebus suis convivia præbebat, cui rei proprii erant redditus addicti: erantque hujusmodi convivia scholæ sobrietatis, ubi adstantium animi magis magisque conjungebantur, quod Athenæus observat (*h*).

Esseni & therapeutæ Judæorum.

§. III. Verum in excolenda in solitudine, vel in communi vita philosophica Judæi cæteris gentibus celebriores. Ut mittam Rechabitas, qui in tentoriis habitantes, agros nec possidebant, nec colebant, nec bibebant vinum (*a*) certe Esseni, qui unam eamque puriorem ex tribus philosophicis Judæorum sectis componebant, in cœnobiis sub præfecto vitam agebant communem, in cujus usum non tantum vitam auspicantes propria bona, sed inde etiam manuum labores, quibus dediti erant, conferebant. Omnes vestibus induti candidis summa religione Deum colebant, non jurabant, non mentiebantur, se abstinebant ab uxoribus, & orationibus & virtutibus vacabant. Post triennii examen in suam societatem admittebant neophytos, qui magnis execrationibus vitam ad leges societatis exactam promittere debebant. Longe durius vitæ genus ducebant *therapeutæ*, hoc est *Dei cultores*, ut eos appellat Philo Judæus, qui peculiarem de iis libellum sub titulo *de vita theoretica, seu de supplicum virtutibus* conscripsit: etenim quasi essent vita defuncti, facultatibus & mundo relictis, in villas solitarias secedebant, & in separatis ædibus, quas dicebant *monasteria*, singuli habitabant, ubi per sex dies tantum philosophabantur, cibum post solis occasum sumentes, & septimo die ad senioris sermonem audiendum in commune *semneium* conveniebant, eoque finito manducabant, non cibis lautis utentes, sed simplici pane, cujus obsonium erat sal, quem delicatiores hyssopo condiebant. Essenorum & therapeutarum instituta ex Josepho & Philone Judæis plenius Jo. Clericus (*b*) recenset. Cæterum num therapeutæ Esseni an christiani fuerint, an ab utrisque diversi, inter eruditos non convenit; sed eorum instituta judaismum potius, quam christianismum sapiunt, magisque propterea ad verum accedunt, qui eos Essenos faciunt duriores, quod Josephus Scaliger (*c*) animadvertit, & late contra Montfauconium Bouhjerius, in senatu Divionensi præses, demonstravit.

Origo monachatus apud christianos.

§. IV. Ut vero nunc redeamus ad christianos, quæ fuerit inter eos prima monachatus origo, non una est omnium sententia. Claudius Dellius (*d*) ab exemplo gentilium philosophorum, alii ab Essenorum institutis eum repetunt: nec defuerunt, qui in Eliæ & Joannis Baptistæ vita monachatus originem quæsiverunt: & demum Boehmerus (*e*) ex quorundam temperamento ad solitudinem proclivi ascesi putat accessisse vitam solitariam. Sed præstat originem monachatus ad persecutiones referre, quod multi ex antiquis, teste Sozomeno (*f*), tenuerunt, & aliqui ex recentioribus illustrarunt

(*a*) Hieron. ep. IV. ad Rustic. & ep. XIII. ad Paulin.
(*b*) Sozom. lib 1. cap. 13
(*c*) Thomass. part. 1. lib. 3. cap. 2. n. 3.
(*d*) Cæsar. lib 6. de Bello Gallico.
(*e*) Tull. lib. 3. de Orat.
(*f*) Laertius lib. 9.
(*g*) Deslandes Histoire critique de la philosophie lib. 3. cap. 14. n. 2.
(*h*) Athen. lib. 9. & 12.

(*a*) Jerem. XXXV. 6. 7.
(*b*) Prol. eg. Hist. Eccles. sect I. cap. 4. & seq.
(*c*) Scalig. lib. 6. de Emendat. tempor. Conf. Cleric. loc. cit. cap. 5.
(*d*) Histoire de l' état monastique & religieux.
(*e*) Boehem. lib. 3. Jur. Eccles. tit. 31.
(*f*) Sozom lib. 1. cap. 12.

runt (*a*). Tempore persecutionis Decianæ, quæ medio sæculo tertio erupit, multi ex Ægypto christiani æstum tempestatis evitaturi, in Thebaidem aliasque solitudines & montes secesserunt, ubi sancta quiete perfusi Deo cœperunt famulari, & inde solitariæ vitæ commodis expertis, post finitam persecutionem ibi permanere decreverunt. Moris quidem christiani semper fuit, quoties immineret persecutio, ex consilio evangelico sibi fuga consulere, & hinc epistola ad Hebræos mentionem eorum habet, qui propter fidem in desertis & montibus errarunt, in speluncis & cavernis terræ latibula quærentes (*b*); at usque ad Decianam in christianos tempestatem nulli videntur fuisse, qui coactum illud vitæ genus etiam in pace sustinerent. Primus ergo solitariæ vitæ inter christianos *auctor Paulus, illustrator Antonius*, ut loquitur Hieronymus (*c*). Et Paulus quidem per nonaginta fere annos nemini, nisi Antonio sub vitæ exitum innotuit; sed Antonius plures habuit imitatores, & in eo totus fuit, ut solitariam vitam inculcaret, perficeret & regulis asceticis institueret (*d*). Non tamen Antonius ullum ædificavit cœnobium, in quo simul solitarii viverent. Primus Pachomius pacatis Constantini M. temporibus in Thebaide Monachos, quibusdam cœnobiis ædificatis, in societatem adunavit: quod diserte constat ex actis Pachomii à Monacho supparis ætatis conscriptis, ubi inducitur Antonius anachoretarum parens, qui ita Sacchum Pachomii discipulum adloquitur: *Quo ego primum tempore Monachum cœpit agere, nullum uspiam extabat cœnobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat: sed quisque antiquorum Monachorum persecutione jam finita privatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero pater vester* (Pachomius nempe) *tantum bonum, Deo adjuvante, effecit* (*e*).

Propagatio monachatus.

§. V. Instituta in Ægypto primum monastica vita statim felici successu per Orientem propagata est. In Palæstina anachoretas Hilarion, Antonii discipulus, instituit (*f*). Nec multo post Eustathius, Episcopus Sebastiæ inter Armenos, Paphlagonas & accolas Ponti induxit cœnobitas (*g*); quod idem institutum Basilius per Pontum & Cappadociam propagavit. Et ex eo tempore vita monastica totum Orientem, Æthiopiam, Persiam ad Indos usque pervasit. Interim in Occidente medio fere quarto sæculo Monachi sordes-

(*a*) Bingh lib. 7. Orig. eccles. cap. 1. §. 4.
(*b*) Ad Hebræos XI. 38.
(*c*) Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. c. 16.
(*d*) Sozom lib. 1. cap. 13. Conf. Tillemont Memoires pour servir à l' Histoire ecclésiast. tom. 7. part. 1.
(*e*) Act. Pachomii cap. 77. ap. Papebroch. die 14. Maji.
(*f*) Hieronym. in Vita Hilarionis cap. 11.
(*g*) Sozom. lib. 3. cap. 14.

cebant & detestabantur. Sane testatur Hieronymus, Romanis initio adeo Monachos odio fuisse, ut eos urbe eliminandos censuerint. *Quousque*, sunt Hieronymi verba ex sententia Romanorum pronunciata (*a*), *genus detestabile Monachorum urbe non pellitur?* Et alio loco idem Hieronymus scribit (*b*), propositum Monachorum *propter rei novitatem* ignominiosum & vile habitum fuisse. At inde opera Athanasii, qui Arianæ hæresis persecutionem declinans, Romam Antonii vitam à se conscriptam detulit, & postea auctoritate, exemplo & scriptis Hieronymi, alias ad solitudinem facti, monachatus ignominia in gloriam versa est: erantque Romæ tempore Hieronymi crebra virginum monasteria, & innumerabilis Monachorum multitudo (*c*). Nec minori zelo Athanasius, quum apud Treviros exularet, videtur monachismum commendasse. Sed per Gallias monachismi propagatio præcipue Martino, inde Episcopo Turonensi, debetur, qui ab Italia, ubi prope Mediolanum, condiderat monasterium, infestationibus Arianorum ejectus, tandem apud Pictavos cellam fixit suam (*d*), ubi octoginta discipuli ad beati magistri exemplum instituebantur (*e*). Et ita deinceps reliquæ Occidentis regiones monachismum admiserunt, graviter eam provinciam promoventibus Episcopis & Monachis, quorum aliqui Monachos orientales inviserunt, ut disciplinam monasticam addiscerent, & in natale solum inferrent, quo nomine Cassianus celebratur.

Monachatus in feminis.

§. VI. Quocumque vero penetravit monachatus, ingens hominum numerus eo, veluti ad portum salutis, concurrebat. Perfecta christianismi ascesis in continentia & institutis monasticis reposita credebatur: ipsi Monachi sanctitate & novitate fuerunt admirationi: & Ecclesiæ Patres novam conversionem summopere laudabant, hactenus, ut pro secundo baptismo haberent, quo maculæ omnes post salutares undas contractæ abstergerentur. Solitariis ergo oppletæ solitudines, & monasteria, præsertim Ægiptiaca, ad duo, vel tria & amplius millia Monachorum habuerunt, qui tamen in multis ædibus habitabant, quarum plures constituebant monasterium. Nec viris in amplectendo monachismo quidquam mulieres cesserunt, quarum aliæ principio vel in communione, vel in desertis vixerunt. In Oriente ætate Basilii jam erant virginum conventus (*f*): quo eodem sæculo in Thebaide monasterium virginum extitit, in quo vixit S. Euphrasia, ut ex ejus vita apud Bollandum constat (*g*). Et

(*a*) Hieronym. ep. XXIV. ad Paulam.
(*b*) Epist. XVI. ad Principiam.
(*c*) Hieronym. cit. epist. XVI.
(*d*) Florens tract. de Statu regular. in præf.
(*e*) Sulpit. Sever. Vit. Martin. cap. 7.
(*f*) Basilii de Inst. Monach.
(*g*) Bolland. die 13. Martii.

Et Chrysostomus *choros virginum* in solitudinibus Ægiptiacis degentes laudat (*a*). Romæ, teste Hieronymo (*b*), Marcella omnium prima fuit, quæ monasticam profiteretur philosophiam. Ita invaluit differentia inter *virgines ecclesiasticas* & *monasticas*, quarum illæ etiam postquam Deo solemniter se devoverant, in domibus fere vivebant paternis (*c*), hæ vitam communem ducebant, & non secus ac reliqui Monachi, propriis vivebant laboribus (*d*). Sequentibus sæculis quot fuerunt Monachorum ordines, tot ex adverso familiæ monialium emerserunt, easdem, quas Monachi, regulas profitentes, & ita vita monastica feminarum, fere eadem, quæ virorum fata experta est,

Monachi vel solitarii *vel* cœnobitæ.

§. VII. Jam Monachi omnes vel ab ipsa monachatus origine duplicis fuerunt generis, *Monachi* nempe proprie sic dicti & *cœnobitæ*. Monachi in privatis cellulis soli vivebant, unde *Monachi*, *anachoretæ* & *solitarii* dicti, & eorum habitacula *monasteria*. Et hi quidem secundum regulas ab Antonio propositas ascesim exercebant, cæterum nulli præposito addicti, sponte sua in monasticis institutis proficiebant. *Cœnobitæ* vero in societate secundum regulam sub præposito, qui *Abbas* dicebatur, vivebant, eorumque domus dictæ *cœnobia*, quasi simul viventium habitacula. Interim cœnobitæ, quamvis solitarii proprie non essent, tamen nomen *Monachorum* & *monasterii* retinuerunt, idque forsan ne in tanta Monachorum ejus ætatis fama, cœnobitica vita minus celebraretur. Nec apud antiquos alia probata fuerunt Monachorum genera, & si qui proprium nomen præferunt, vel ad solitarios, vel cœnobitas referri debent, nomenque proprium sortiti sunt à peculiari, quam exercebant, ascesi. Ut ecce *stylitæ*, hoc est *columnarii*, qui vivebant in columna, ventis, frigori, calori semper expositi, veri fuerunt solitarii: primusque hanc durissimam philosophiam ante medium sæculi quinti Simeon Stylites invenit, ut testatur Evagrius (*e*): nec multos habuit imitatores, adeo verum est, quod ascesis etiam modum habeat suum (*f*). E contrario ἀκοίμητοι, *insomnes*, qui ineunte quinto sæculo Constantinopoli innotuerunt, cœnobitæ fuisse videntur, qui in cœtus distributi sine intermissione dies ac noctes divina officia celebrabant.

Sa-

(*a*) Chrysost. hom. VIII. in Matth.
(*b*) Epist. XVI. ad Princip. virg.
(*c*) Conc. Carthag. III. Can. XXXIII.
(*d*) August. de Morib. eccles. cap. 31.
(*e*) Evagr. lib. 1. cap. 13.
(*f*) Bingh. Orig. eccles. lib. 7. cap. 2. §. 5. Confer. Cl. Mazochius com. in Eccles. Neap. Kalend. in S. Simeone Stylita juniore.

Sarabaitæ & gyrovagi.

§. VIII. Interim non diu post exortum monachatum duo spuriorum Monachorum genera *sarabaitæ* & *gyrovagi* emerserunt. Sarabaitæ bini vel terni nec multo plures quasi essent cœnobitæ, fere in urbibus & castellis proprio arbitrio sine præside vivebant, ac de suis laboribus ad communia alimenta in commune partem conferentes, reliquum in usus proprios reservabant: erantque inter eos continua jurgia, & quia spiritu Dei non ducebantur, in omnibus affectabant singularitatem. *Apud hos* (sarabaitas) *affectata sunt omnia*, inquit Hieronymus (*a*), *laxæ manicæ*, *calligæ follicantes*, *vestis crassa*, *crebra suspiria*, *visitatio virginum*, *detractio Clericorum*, *& si quando dies festus advenerit*, *saturantur ad vomitum*. Gyrovagi, alio nomine *circumcelliones* dicti, è contrario nullo certo loco affixi, per totam vitam vagabantur, in aliorum cellis ternis, aut quaternis diebus commorantes, propriis voluptatibus & gulæ illecebris servientes, ut eos S. Benedictus describit (*b*). In hoc autem vagandi instituto, quemadmodum Augustinus testatur (*c*), alii membra martyrum, (si tamen martyrum) venditabant: alii fimbrias & philacteria sua magnificabant, omnesque, aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ sanctitatis exigebant. Itaque non minus sarabaitæ, quam gyrovagi potius scandala & Ecclesiæ opprobria, quam Monachi fuerunt, & tamen Spalatensis (*d*) non veretur, nostros mendicantes tanquam sarabaitas traducere: quod putidum est mendacium, confutatione indignum. Num mendicantes bini, vel terni suo arbitrio vivunt, de parte laboris aliquid in commune conferentes, reliquum sibi reservantes.

Monasteria olim in silvis, inde etiam in urbibus.

§. IX. Principio non tantum solitariorum cellæ, verum etiam ipsa cœnobitarum monasteria longe à frequentia civitatum in montibus & speluncis fuerunt constituta: quod plane postulabat natura monachatus ad quietem & pœnitentiam facta, & propriæ salutis tantum sollicita. Quin ipsæ monialium domus initio etiam in solitudinibus fuerunt, memoratque Chrysostomus choros virginum in solitudinibus Ægyptiacis degentes (*e*). Testatur quoque Hieronymus, Romæ initio vitæ monasticæ feminis suburbanum agrum pro monasterio fuisse, & rus electum pro solitudine (*f*). Verum ipso quarto sæculo cœnobia tam virorum, quam mulierum è solitudinibus in civitates migrare cœperunt, & harum quidem ne infamiæ notam subi-

(*a*) Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. cap. 15.
(*b*) Reg. Bened. cap. 1.
(*c*) August. lib de Opere Monach. cap. 28.
(*d*) M. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. lib. 2. cap. 12. n. 57.
(*e*) Chrysost. hom. VIII. in Matth
(*f*) Hieronym. ep. XVI. ad Principiam virginem.

birent, illorum vero quo Monachi ad debellandos hæreticos essent promptiores. Et sane constat, Basilium in urbibus Ponto finitimis monasteria constituisse, ut eas ab Arianismo servaret illæsas (*a*). Ita cœperunt monasteria à prima simplicitate desciscere, & paulatim urbana imitari ædificia, donec eo ventum, ut longe superarent. Sed omni ætate qui monachismum jam collapsum suo nitori restituere adlaborarunt, antiquiores imitantes in solitudinibus suas primas ædes ædificarunt. Ubicunque vero constituantur monasteria, non sine Episcoporum auctoritate ea ædificari Ecclesia permittit (*b*). Et ex provinciarum statutis non ædificantur, nisi publica auctoritas præcedat.

Varia Monachorum nomina.

§. X. Origine, propagatione & Monachorum generibus explicatis, multa austeræ hujus ascesis nomina, in antiquis monumentis passim occurrentia, paucis oportet recensere, ne tirones deinceps remorentur. Desumpta autem sunt omnia à variis vitæ monasticæ institutis, non secus ac *Monachi* & *cœnobitæ* appellationes. Ut ecce propter magnam abstinentiam & temperantiam generatim Monachi dicuntur *continentes* (*c*), à mundi vero & rerum humanarum fuga *renunciantes*, & hinc Cassiani liber *de Institutis renunciantium*. Solitarios quod unice in desertis vivebant *lucifugos viros* Rutilius Numantianus (*d*) appellavit. Omnes vero ab exactiori religionis christianæ profitendæ cura κατ' ἐξοχὴν dicti sunt *religiosi*, quæ appellatio apud Salvianum (*e*) primum occurrens, sequentibus temporibus fuit usitatissima. Propter eandem rationem sæpe audiunt *conversi*, & qui monachatum implectuntur *converti* & *ad religionem* dicuntur transire: unde tituli decretalium *de Regularibus & transeuntibus ad religionem*, & *de conversione conjugatorum*. A regula vero, quam profitentur *Regularium* nomen sortiti sunt. Ipsa autem monastica vita præclaro *monasticæ philosophiæ* nomine condecoratur: quod nomen naturæ monachatus erat accommodatum; etenim vita philosophica potius in virtutum exercitio, quam in cogitatione consistit. Apud Palladium pro vita monastica sæpe vocabulum φιλοθείας occurrit, eo quod Monachi unice Deum amare profiterentur. Unde Theodoretus librum, quo, præcipuorum sui temporis ascetarum vitas complexus est, φιλόθεος ἱστορίαν *religiosam historiam* inscripsit. Cœnobia demum etiam ἡγεμένεια & μάνδραι dicta sunt, unde *hegumenus* & *archimandrita* nomina sunt Abbatis, qui præcipuus monasterii cujusdam pater vel gubernator est: & aliquando etiam vocantur φροντιστήρια, quod veræ doctrinæ & scholæ essent educationis.

Con-

(*a*) Sozom lib. 6. cap. 17., Socr. lib. 4. cap. 26.
(*b*) Conc. Chalced. Can. IV., Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 3.
(*c*) Conc. Carthag. III. Can. XXV., l. 2. C. Th. de Ep
(*d*) Rutil. Numant. lib. 1. Itiner.
(*e*) Salvian. de Gubernat. lib. 5.

Conjunctio solitariorum & cœnobitarum.

§. XI. Vita solitaria & cœnobitica ut inter se diversa, ita propria habebant commoda & incommoda. Erat solitaria magis composita & tranquilla, ac animos magis Deo copulabat; sed, quod virtus in comparationem non veniret, fastu non carebat. Cœnobitica vero magis actuosa & utilis censebatur, sed à tumultibus erat minus libera. Ergo Basilius Athanasium imitatus diversa Monachorum instituta inter se quodammodo conciliavit & permiscuit: etenim prope cœnobia pietatis *asceteria* & *monasteria*, privatas nempe solitariorum cellulas, ædificanda curavit, ut nec contemplatio communicationis indigeret, neque vita cœnobitica contemplationis (*a*). Et ex hoc tempore in Oriente, & inde in Occidente cœnobia eremos habere cœperunt, in quibus discedentes, seu ut posteriores Latini dicunt, *inclusi* & *reclusi*, philosopharentur. Passim vero eremus cellulis interspersa *laura* proprio nomine vocatur. Græcis λαυρῶς est copiosus, multus, & λάυρα vicum vel plateam denotat: & ita laura Monachorum instar vici eremitarum erat, in quo sparsim habitabant (*b*). Erat autem vita solitaria longe durior cœnobitica, nam consortio fratrum deinceps solitarii destituti, singularem pugnam contra diabolum & proprias infirmitates debebant sustinere. Unde Canones & regulæ Monachorum passim edicunt, emeritos tantum cœnobitas in eremos transire, transitumque non fieri sine Abbatis & Episcopi consensu, ne temere in durissimam aleam prosiliant (*c*). Sub initium conjunctionis cœnobii & monasterii videntur Monachi contemplationem actione, actionem contemplatione pulcherrime interpunxisse. Sed inde eremi disciplina durior facta est, negatumque cœnobitis discedentibus inde in cœnobia reverti, idque ne in deterius delaberentur (*d*). *Tale propemodum est*, inquit S. Romualdus (*e*), *ex eremo ad monasterium reverti, quale de monasteriali ordine ad sæculum adsportari.* Tantum permittebantur inclusi lauris egredi *propter communem utilitatem*, si nempe in Abbates eligebantur, *vel aliam necessitatem ad mortem urgentem*, quas exceptiones Synodus Trullana proponit (*f*).

Regulæ monasticæ erant peculiares & mutabiles.

§. XII. Jam vero unumquodque fere monasterium quemadmodum præpositum proprium, ita etiam propriam regulam habuit, eamque non ita fixam, ut perpetuum obligaret. Primaria & fundamentalis Monachorum regula fuit perfectio evangelica, ad quam consequendam celebriores Episcopi & Abbates peculiares, ut præsens usus pos-

ce-

(*a*) Gregor. Nazianz. Vita Basilii, & orat. 21.
(*b*) Ant. Matth. de Nobil. lib. 2. cap. 26.
(*c*) Conc. Venet. Can. VII., Conc. Trullan. Can. XLI., Reg. Bened.
(*d*) Christ. Lup. schol. in Can. XLI. Trullan.
(*e*) Ap. Petr. Damian. lib de Propriæ Congregationis institutis cap. 16.
(*f*) Conc. Trullan. Can. XLI.

cebat, composuerunt formulas, quas alii monasteriorum præpositi suas faciebant, addentes, quæ tempori & personis convenirent. Ita monasticæ regulæ omnes erant peculiares, quod facile intelligitur instituta collatione regularum, quas vir doctus Lucas Holstenius publicavit (*a*). Unde fere tot regulæ fuerunt, quot monasteria: quin, ut docet Mabillonius, sæpe monasteria regulas mutarunt, nulla monachatus facta mutatione, prout ingenio ad mutationem prono erant Abbates. Ipsa S. Augustini regula, nunc inter Regulares celeberrima, extemporanea & peculiaris scriptio fuit, quam vir sanctus ad usum solius monasterii, cui ejus soror præposita erat, conscripsit, ut recte post Erasmum vidit Papebrochius (*b*), qui etiam addit (*c*), eam demum nono sæculo per Benedictum Anianensem viris aptatam fuisse. Peculiares formulæ hominibus, qui diversis moribus & ingenio pro varietate locorum sunt, instituendis magis conveniebant, quam nunc generales, quibus vivunt integræ ordinum familiæ in orbe christiano dispersæ.

Regula Benedictina stabilis & passim recepta.

§. XIII. Integra mutandæ regulæ libertas usque ad sanctum Benedictum in monasteriis perduravit, sub quo monachatus in Occidente formam induit angustiorem. Is almus Monachorum Pater quum diu in solitudine vixisset, tandem inde egressus regulam monasticam conscripsit in usum Cassinensis monasterii, quod circa an. 10xxx. ædificavit. Primus aut certe inter primos S. Benedictus solemnis professionis formam præscripsit, qua intra terminos æditæ professionis regulæ suæ inclusit observantiam, à qua deinceps recedere non liceret (*d*). Unde castigata vaga illa formulæ mutandæ libertas, quæ antea occupabat monasteria. Admodum celebris fuit regula Benedictina, ex melioribus christianæ philosophiæ præceptis coagmentata, hactenus ut eodem spiritu, quo sacri Canones, profecta censeretur. Unde à Sede Apostolica tanquam regularum domina commendata, & sequentibus post Benedictum sæculis universum pene occupavit Occidentem: nova enim monasteria eam passim admiserunt, & antiqua fere omnia, veteribus regulis excussis, ad eam conversa sunt.

Monachi vivebant labore manuum.

§. XIV. Antiqua monasteria, præsertim orientalia, statos non habebant redditus, quos renunciantes cum monachatu pugnare credebant: & ita ipsi renunciantes, prius in pios usus aut inter cognatos propriis bonis tributis, pauperes in monasteria introibant. Ergo tum incognita mendicitate, Monachi omnes manibus operabantur, laboribusque suis & victum sibi parabant, & in solitudine positi durissimis Satanæ occurrebant tentationibus. Refert Cassianus Monachorum Ægyptiorum eam fuisse sententiam, *operantem Monachum uno dæmone pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari* (*a*). Et Rusticum Monachum in hunc modum adhortatur Hieronymus: *Fac & aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum* (*b*). Sane otiosi in solitudine vitiis contabescunt, & continuis carnis tempestatibus vivunt obnoxii. Sic vero innatus erat vitæ monasticæ labor manualis, ut Monachi Ægyptii non laborantes tanquam alieni cupidos fraudatores traduxerunt (*c*). Nec suis laboribus sibi tantum quærebant victualia, verum etiam inde pauperibus providebant. Epularum enim restrictione plurimum redundabat, quod summa cura tribuebant pauperibus, & quandoque etiam naves victualibus oneratas ad Monachos, qui steriles incolebant regiones mittebant (*d*).

Monachi Occidentales divitiis aucti.

§. XV. Quæcumque in laborando fuerit Monachorum orientalium disciplina, Monachi Occidentales quamvis etiam manuum labore occuparentur, ab ipso tamen pene monachatus initio fuerunt in laboribus remissiores. Unde statim fidelium oblationes, aut statos redditus non respuerunt, hactenus ut ætate Augustini, quo primum tempore monachatus in Africa invaluit, multi Monachorum melius indicabant, Monachos orationi & lectioni vacare, & oblationibus fidelium vivere, quam assiduis laboribus ad sumptus distineri, qui tamen Augustino judice causa ceciderunt (*e*), ut mittam eos, qui sub prætextu religionis viduas & pupillas ad extorquenda legata & hæreditates adgrediebantur (*f*). Sed processu temporis fama sanctitatis Monachorum in Occidente longe lateque diffusa, monasteriorum bona temporalia immane quantum excreverunt. Certatim christiani omnes ad locupletanda monasteria ferebantur, ea ratione bona sua pauperibus data reputantes: & qui ad Monachos transibant, fere in monasterium una sua bona transferebant. Et Principes eo usque fuerunt in Monachos liberales, ut etiam feuda & ipsa regalia in eos transferrent, variis de novo extructis monasteriis, aut antiquis locupletatis. Nec in tanta fidelium in monasteria propensione, Monachi sibi defuerunt, nam ad se venari homines cœperunt opulentos, quin & inculcare effusas in monasteria liberalitates ad Deum promerendum & peccatorum remissionem plurimum valere. Quæ Monachorum artes præsertim invaluerunt, postquam sub Carolo Martello universa Ecclesia-

(*a*) Conferatur Holstenius præf. Cod. Regul. cap. 3.
(*b*) Papebroch. ad vitam S. Alberti die 8. Aprilis.
(*c*) Respons. apolog.
(*d*) Mabillon. præf. ad primum part. sæculi IV. Benedict. n. 53.

(*a*) Cassian. Institut. lib. 10. cap. 23.
(*b*) Hieronym. ep. IV. ad Rustic.
(*c*) Socrat. lib. 4. cap. 23.
(*d*) August. de Morib. Eccles. cap. 31.
(*e*) August. de Opere Monachorum. Confer. Hugo Menardus in Concord. regul. cap. 55. §. 1.
(*f*) L. 20. C. Th. de Episc.

siarum & monasteriorum bona in stipendia abierunt militaria (*a*). Porro ipsa Ecclesiarum bona pro maxima parte Monachis cesserunt, quando pridem à laicis possessa, aut occupata Ecclesiis restituenda Concilia decreverunt. Maluerunt enim Laicorum plerique, Clericorum tum pessimis moribus offensi, Monachos locupletare, quam Ecclesias in integrum restituere.

Collapsio monachatus.

§. XVI. Interim non secus ac reliqua humana instituta, quæ tempore tandem fatiscunt, disciplina monastica à pristino nitore cecidit, adeo ut Monachos in Monachis vix agnoscas. In Oriente sæculo quinto Monachi potius pacis & tranquillitatis publicæ & ecclesiasticæ perturbatores, quam quietis & solitudinis amantes. Sed in Occidente longe majus disciplinæ monasticæ exitium. Publicæ calamitates, quæ Occidentem devastarunt, Monachos etiam perdiderunt. Sed maxima generalis causa lapsæ monasticæ disciplinæ fuit copia temporalium, unde monasteria cœperunt abundare, quod veteres passim agnoscunt. Etenim ex *temporalium abundantia*, quemadmodum loquitur Arnoldus Abbas Lubecensis (*b*), *dum cœperunt* (Monachi) *carnaliter vivere cœperunt etiam carnaliter sapere*; *refrixit charitas*, *subintravit mundialitas*. Sunt quidem divitiæ in civitate necessariæ, iisque in bonum omnes uti possunt; at qui professionem emittunt paupertatis, & vitam duriorem profitentur, vix est, ut in rerum affluentia modum servent, præsertim si aliæ causæ accedant, quæ initio regularum tantisper relaxent observantiam. Inde intermissus labor manualis, victus lautior, vestis pretiosior, ædificia elegantiora, negotiorum temporalium tractatio, præfecti à disciplina monastica distracti; & ex feudis Abbates milites facti, & monasteria in militum ludos conversa. Porro temporalium abundantia elati Monachi, post sæculum decimum, impetratis à Sede Apostolica privilegiis, jugum Episcoporum excusserunt, quamvis subinde Episcoporum rapacitas Monachos impulerit ad exemptiones impetrandas. Et hinc longe posito, qui poterat arguere, Monachi à sancta conversione desciverunt, haberique cœpit monachatus potius tanquam vita commodis affluens, quam ut mundi & pomparum ejus renunciatio.

Disciplina monastica sæpe restituta.

§. XVII. Verum collapsa monastica disciplina reparatores semper habuit suos. In primis Carolus M. & inde ejus filius Ludovicus Pius pluribus indictis Conciliis, legibus latis & institutis *Missis dominicis*, qui monasteria ad reformationem circumirent, lapso monachismo splendorem restituerunt. Usus in ea re Ludovicus præser-

(*a*) Christ. Lupus schol. in quædam decreta S. Leonis IX. decr. 2.
(*b*) Supplement. Helmoldi lib. 3 cap. 9. Confer. Espen. part. 1. Jur. Eccles. tit. cap. 1.

sertim fuit opera S. Benedicti Anianensis, quem omnibus regni sui præfecit monasteriis, ut regulam S. Benedicti restitueret. Et hic est ille Benedictus, qui reformationem Aquisgranensem delineavit, qua octoginta capita regulæ Benedictinæ fuerunt cum aliquo temperamento renovata (*a*). Multum tamen superfuit veteris licentiæ. Austerior philosophia semel relaxata inter easdem personas in integrum non facile restituitur, præsertim quando monasteria bona retinuerunt: & obtentu studiorum & orationis non restitutus est labor manualis, in quo vigor disciplinæ Monachalis consistebant, & multi domini laici sub *Abbatum* nomine à Regibus, vel à se monasteria possidebant, qui de temporalibus solliciti, monasticam parum curabant disciplinam. Quin post mortem Ludovici, Nortmannis Franciam percurrentibus, Monachi in antiquam licentiam prolapsi sunt. Ergo variis reformationibus inde restituta est disciplina monachalis opera illustrium virorum, qui vel renovarunt regulam Benedictinam, vel novas excogitarunt formulas. Unde sæculis decimo & sequenti nati Cluniacenses, Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani & Cistertienses: qui omnes, non secus ac antiquiores Monachi, initio austeritate, sanctitate & neglectu temporalium floruerunt; sed inde adquisitis bonis temporalibus in deterius delapsi sunt, & hinc historia monachatus continua est virtutis & corruptionis alternatio.

Quî inducta inter Monachos ordinum diversitas.

§. XVIII. Per decem plus minus sæcula nulla inter Monachos ordinum diversitas, sed omnes tum Orientales, tum Occidentales unam societatem videntur composuisse, quod viri docti Holstenius & Mabillonius (*b*) observant. Et sane quamvis regulæ pro monasteriorum varietate nonnihil differrent, eodem tamen omnes redibant, ad apicem nempe christianæ perfectionis. Si quid proprii regulæ haberent, id pro locorum & personarum varietate & Abbatum ingenio erat indictum; at quæ naturam monachatus constituunt, omnia erant communia. Hinc facilis & promiscuus ex uno monasterio in aliud Monachorum de Abbatum licentia commeatus, & Orientalium & Occidentalium Monachorum mutua communicatio. Apud Orientales adhuc Monachi sunt unius ordinis, nec vestibus inter se distinguuntur. Sed in Occidenti circa sæculum decimum ordinum diversitas cœpit induci, jeceruntque distinctionis semina Cluniacenses, qui quamvis regulam recentarint Benedictinam, unam tamen ex pluribus monasteriis induxerunt congregationem, qua ab aliis Monachis se distinxerunt. Semel inductam distinctionem inde Camaldulenses, Carthusiani, Grandimontenses & Cistertienses majorem rediderunt, tan-

(*a*) Leo Ostiens. in Chron. Cassinensi lib. 1. cap. 16.
(*b*) Holsten. præf. in C. regular. Mabillon. præf. ad primam part. sæc. 4. Benedict. n. 52.

tandem perfecerunt mendicantes, qui in multos abierunt ordines, à se invicem vestibus, moribus, institutis, &, quod mireris, exercitiis pietatis distinctos, adeo ut interdictis possessoriis egerint, ne alii aliorum sacra colerent, & inculcarent.

Regulæ monasticæ à Pontifice confirmandæ.

§. XIX. Inducta semel inter renunciantes non sine novis formulis ordinum diversitate, novandi prurigine homines ducti statim cœperunt novos ordines excogitare: unde in Ecclesiam imminebat confusio, & sub specie religionis hæreses, quod pauperes de Lugduno fecerant, inculcatæ. Satius erat regulam Benedictinam in usum revocare, quam Ecclesiam gravare novis inventis. Ergo in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statutum, ne deinceps quisquam novam religionem inveniat, sed quicunque converti velit, de approbatis unam seligat (*a*). Et ita ad novam religionem fundandam deinceps necessaria esse cœpit Pontificis confirmatio (*b*), quum ante quisque pro sua voluntate regulam scriberet, & Monachos adunaret. Sed neglecto tam sapienti decreto non sine virorum sapientum admiratione iterum antiqua irrepsit licentia, quæ tot novos ordines invexit (*c*). Unde Concilium Lugdunense sub Gregorio X. decretum Lateranense renovavit, omnesque religiones & ordines mendicantes, quos Sedes Apostolica non probaverat, suppressit (*d*). Quo decreto infinitam Monachorum turbam fuisse reductam Fagnanus adnotavit, qui tamen ingenue subjungit, inde religiones usque adeo excrevisse, ut à multis *viris piis Apostolicæ Sedis provisio hac in re desideretur* (*e*).

Nova monachatus facies.

§. XX. Jam vero ad undecimum usque sæculum toties lapsa & restituta monastica disciplina in eo constanter posita fuit, ut Monachi à turbis sæculi longe remoti, Deo famularentur, & propriæ vacarent saluti. At deinceps perseverante quin & aucto veteri instituto, in plerisque novis ordinibus novam monachatus induit formam, qua Clerici superinduerunt monachatum, & regulares aliorum salutem cœperunt curare, quin & fidem armis propagare & tueri. Ejus ætatis Europæ status tantam mutationem postulare videbatur. Clerici simoniaci, incontinentes, & de animarum cura parum solliciti, continuæ & supra fidem numerosæ ad recuperandam Palæstinam expeditiones, multique etiam sacrum iter ad loca nostra reparationis invisenda gregatim instituebant. Unde ad cleri reformationem Clericis injectus monachatus, multi viri pii assumpto monachismo in cura animarum Clericis accesserunt adjutorio, & alii etiam ad vota monastica defendendæ armis religionis addiderunt institutum. Et ita hos novos religiosorum ordines in *clericales*, *militares*, *mendicantes* & *pios operarios* partiri possumus, quorum omnium historiam paucis prosequemur, à clericalibus ordientes.

(*a*) Cap 9. ext. de Relig. domib.
(*b*) Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 4.
(*c*) Matth. Paris. ad an. 1246.
(*d*) Cap. un. de Relig. domib. in 6.
(*e*) Fagnan. ad cap. *Cum sit ars* ext. de Ætat. & qualit. ordinand. n. 15.

Canonici regulares.

§. XXI. Vita communis Clericorum à Chrodogango instituta, & inde nono sæculo felici successu propagata, non diu inter Canonicos perduravit: etenim sæculo decimo passim Canonici claustra reliquerant, & præbendas inter se partiti, in sæculo vivebant (*a*). Bonorum affluentia, quæ Monachos, etiam Canonicos perdiderat, præsertim quum Canonici non adeo stricte paupertate adstringerentur. In sæculo autem viventes Canonici, non secus ac reliqui Clerici in ferreis illis Ecclesiæ temporibus pietatem omnes posuerunt, passimque luto hærebant incontinentiæ, & simoniæ vitio laborabant. Unde circa medium sæculi XI. ad corruptos Clericorum mores reformandos plures sancti viri, in primis Petrus Damianus in Italia, & inde Ivo Carnotensis in Gallia eos in communem vitam voto paupertatis adstrictam redegerunt: quam novam Clericorum conversionem Concilia Romana sub Nicolao II. & Alexandro II. probarunt & promoverunt. Atque hi sunt *Canonici regulares* ad differentiam *Canonicorum sæcularium*, qui in mundo remanserunt. Regulares Canonici sub regula S. Augustini inclaruerunt, vel quia ad exemplum Augustiniani monasterii proprietatem omnem ejurarunt, vel quod regulas monasticas tum sub Augustini nomine receptas in normam assumpserunt. Sæculis XI. & XII. magna fuit hujus ordinis auctoritas, passimque eos Ecclesiæ receperunt cathedrales. Interim variis reformationibus Canonici regulares in varias abierunt familias, & ita nati Canonici regulares S. Spiritus, Theatini, Somaschi, Barnabitæ aliique ad sex supra sexaginta familias aucti (*b*), inter quas *Præmonstratenses* à S. Norberto an. CIↃCXX. fundati sunt illustrissimi.

Ordines militares.

§. XXII. Canonicis regularibus accenssentur *ordines militares*, qui tribus votis, non secus ac reliqui religiosi adstricti fidem & religionem armis contra infideles propugnare tenentur, non obstante quod Monachis cum armis non conveniant. Initio tres iique celebriores fuerunt, *Templarii* nempe, *Hospitalarii* & *Teutonici*, qui omnes tempore sacrarum in terram sanctam expeditionum instituti sunt,

(*a*) Trithem. in Chron. ad an. 977., Ivo Carnotens. ep. LX.
(*b*) Histoire du Clergé seculier & regulier tom. 1. part. 2.

sunt, quod Jacobus de Vitriaco coævus testis multis narrat (*a*). *Templarii* ita dicti, quod prope templum Domini ædes haberent suas, primi fuerunt, qui religionem armis tueri profiterentur. Scilicet Palæstina à christianis recuperata, de more sæculi frequentissime evaserunt ad terram sanctam christianorum peregrinationes. Sed iter erat intutum & latronibus infestum. Unde initio pauci huic se commiserunt aleæ, ut peregrinos in itinere tuerentur: quod opus quia propter Deum susceperant, more Canonicorum regularium in obedientia, paupertate & castitate vivere instituerunt, iisque gregatim multis aliis accedentibus ordo evasit generalis ad terræ sanctæ & religionis defensionem. *Hospitalarii* initio fuerunt, qui in xenodochio ante sacras expeditiones à Monachis Latinis Hierosolymis sub titulo S. Joannis eleemosynarii fundato ex voto infirmis ministrabant; sed inde re christiana in Palæstina auxilio opus habente, inter servientes milites cooptarunt, & tandem totus ordo equestris evasit. *Teutonici* demum initio hospitali ad excipiendos tantum Teutonicos Hierosolymis instituto deservierunt, & inde in obsidione Ptolemaidis ad opem militibus Teutonicis ferendam militiam adjunxerunt, institutum Templariorum & Hospitalariorum conjungentes. Ita nati tres isti militares ordines, qui brevi ex genio sæculi supra fidem numero & divitiis aucti, & à Pontificibus probati sub regula Augustini, tanquam Canonici regulares vixerunt. Quousque res christiana in Palæstina stetit, inter victorias & clades variam subierunt fortunam. Sed an. CIↃCCXCI. capta Acri civitate, & virtute christianorum attrita, natale solum reliquerunt, novas sedes quærere coacti. Templarii per omnem fere Europam se diffuderunt, ubi usque ad invidiam bonis aucti, tandem in Concilio Viennensi rem omni conatu Philippo Pulchro promovente, omnino deleti sunt, bonis inter militares alios ordines tributis. Hospitalarii primum Cyprum, inde Rhodum habitarunt, unde post ducentos & amplius annos impetu Turcarum expulsi, tandem anno CIↃIↃXXX. Caroli V. beneficio Melitam insulam acceperunt, ubi adhuc sedem habet magnus ordinis magister, & *equites Militenses* nuncupantur. Ordo per universam se extendit Europam, ubi in octo *linguas*, seu regiones tribuitur, sed quibus sunt *prioratus*, *baliviæ*, *commendæ*, & equites vivunt more Canonicorum sæcularium. Teutonici in patriam reversi sunt, ibique maxima bona obtinuerunt in *præfecturas* & *commendas* divisa, nec in suam societatem alios, præter nobiles Germanos, admittunt. Horum exemplo deinceps in Europam & præsertim in Hispania alii ordines militares instituti sunt, quorum omnium origines, facta & instituta Aubertus Miræus, Andreas Mendo & auctor historiæ ordinum militarium & equitum Gallica lingua conscriptæ pluribus narrant.

Va-

(*d*) Jacob. de Vitriaco Hist. Hierosolym. cap. 64. & seqq.

Varii mendicantium *ordines.*

§. XXIII. Mendicantes, qui celeberrimum religiosorum ordinem constituunt, in plures familias divisum, sunt religiosi, qui emendicato pane vivunt, & clero in adjutorium dati instituta monastica profitentur, quatenus iis injectæ functiones hierarchicæ patiuntur. Sunt autem mendicantes vel ex regula, vel ex constitutionibus. Vocantur mendicantes ex regula, quod regula possessionem temporalium nec in communi admittat, labore, & in defectum diurna stipe, vivere cogens. Ex constitutionibus vero, quod constitutiones regulæ possessionem temporalium in communi admittenti derogarunt, & ad mendicitatem religiosos coegerunt (*a*). Primi iique celebriores mendicantes sunt *Fratres minores*, *Prædicatores*, *Carmelitæ*, & *Augustiniani*, ex quibus fratres minores mendicantes ex regula, cæteri sunt ex constitutionibus. Fratrum minorum institutor S. Franciscus Assisiensis, qui regulam propriam an. CIↃCCVIII. in rigida instituit paupertate, discipulosque suos labore, & eo deficiente eleemosynis vivere præcepit (*b*): quam regulam ab Innocentio III. probatam Honorius III. confirmavit. Prædicatores eodem ferme tempore S. Dominicus, nobilis Hispanus, sub regula S. Augustini instituit, quæ inde in generalibus ordinis comitiis variis capitibus aucta est. Uterque feminas etiam in vita monastica formarunt, & ita fratrum minorum & Dominicanorum *secundi ordinis* exorti. Carmelitæ eremitæ initio fuerunt, sub finem sæculi XII. à Bertoldo Calabro in monte Carmelo collecti, quibus Albertus patriarcha Hierosolymitanus regulam dedit fere cum Basiliana convenientem, quam inde Honorius III. confirmavit (*c*). Propter Saracenorum incursus inde in Occidentem Carmelitæ commigrarunt, ubi favente Innocentio IV. inter ordines religiosos relati sunt. Et demum Augustiniani auctoritate Alexandri IV. emerserunt, qui varios eremitarum cœtus propriis institutis & regulis viventes in unam sub regula S. Augustini coegit societatem (*d*). Huic mendicantium quadrigæ inde plures alii accesserunt, in primis *Minimi S. Francisci de Paula* (*e*), *Jesuitæ* (*f*) aliique, quibus Pontificum bullis privilegia mendicantium tributa sunt.

Mendicantes eleemosynis vivunt.

§. XXIV. Jam vero regula S. Francisci, ad cujus imitationem & exemplum deinceps mendicantes temporalium etiam in communi abje-

(*a*) Confer. Espen. part. 1. tit. 29. cap. 4.
(*b*) Reg. Franc. cap. 5. & 7.
(*c*) N. Alexander sec. XIII. Hist, cap. 7. art. 5. n. 7.
(*d*) N. Alexander loco cit. n. 10.
(*e*) Pius V. bulla *Apostolicæ Sedis* XLIX. in Bullar.
(*f*) Pius V. bulla *Dum indefessa* CXXXI. in Bullar.

jecerunt possessionem, tum demum stipem emendicare permittit, quum ex opere manuali deficiant alimenta (*a*). Verum labor manualis vix stare poterat cum mendicantium instituto prædicandi verbum Dei ad quod tandem omnes accesserunt. Studia enim litterarum ad prædicationem necessaria, & peregrinationes eam ob rem susceptæ, manualem pati laborem non videbantur. Unde factum, ut mendicantes abjecto opere manuali emendicata stipe viverent, quæ uberiorem præ opere manuum suppeditabat sustentationem, in quo tamen Apostolum non sunt imitati. Hanc regularium mendicitatem tanquam improbam & evangelicæ perfectioni contrariam Guillelmus de S. Amore acerrime perstrinxit, tum exemplo Christi & Apostolorum, qui illud vitæ genus respuerunt, tum etiam quod corpore validi ex propriis laboribus, vel communibus redditibus debeant sustentari, non pauperibus debilibus eleemosynas præripere. Variis in eam rem editis libellis in academia Parisiensi Guillelmus turbas gravissimas excivit. Sed ejus doctrinam tanquam nefariam Alexander IV. damnavit (*b*), & duo viri inter mendicantes celeberrimi B. Thomas Dominicanus, & S. Bonaventura ex ordine fratrum minorum magnis argumentis propugnarunt, viros religiosos ad opus manuum non teneri, quando prædicatione & studio sacræ Scripturæ in Ecclesiæ commune bonum vacant. Et vero qui studiorum & prædicationis curis occupantur, labore manuali, quo vivant, non debent occupari. Interim non negat S. Thomas, nefas esse eleemosynis vivere religiosos, qui ad Ecclesiam nullam conferant utilitatem (*c*).

Collapsio & restitutio mendicantium.

§. XXV. In paupertate constituto mendicantium ordine spes affulgere videbatur, fore ut diu incorruptus & illibatus permaneret. Verum quis crederet ipsa summa mendicitas præcipua causa fuit ut à suo caderent instituto. Scilicet mendicantes in cooptandis fratribus, prætermissa etiam probatione, modum nullum tenentes, brevi in prodigiosum numerum excreverunt. Quapropter ad tantas turbas non sufficientibus eleemosynis, ad media ab eorum instituto aliena pro victu parando confugerunt, ut mittam quod in tanta fratrum multitudine pauci reperiri poterant, qui vero paupertatis studio tenerentur; ut enim bene observat S. Thomas (*d*), summa mendicitas, quæ nec redditus in communi possidet, nisi cum summa perfectione stare non potest. Ita in ipso pene fundationis exordio ceciderunt mendicantes, quod ipse S. Bonaventura deplorat (*e*). Sed

(*a*) Reg. Franc. cap. 5 & 7. Conferatur Espenius part. 1. tit. 29. cap. 4.
(*b*) Natal. Alexander sæc. 13. Hist. cap. 7. art. 7.
(*c*) S. Thom. 2. 2. quæst. 187. art. 4. in C.
(*d*) S. Thom. opusc. 17. cap. 16.
(*e*) S. Bonavent. ad Provinciales & Custodes sui Ordinis.

Sed audiamus ita eos describentem Matthæum Parisiensem (*a*): *Morituris magnatibus & divitibus quos norunt pecuniis abundare, diligenter insistunt, non sine ordinariorum injuriis & jacturis, ut emolumentis inhient, confessiones extorquant, & occulta testamenta, se suumque ordinem solum commendantes, & omnibus aliis præponentes. Unde nullus fidelis, nisi prædicatorum & minorum regatur consiliis, jam credit salvari. In adquirendis privilegiis solliciti, in curiis regum & potentum consiliarii, & cubicularii & thesaurarii, paranymphi & adulatores, & mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel incauti redargutores.* Interim lapsa mendicantium disciplina plures eduxit reparatores, unde nati novi ordines, qui *reformati mendicantes* generali nomine possunt appellari, quales *minores observantes, Capucini, discalceati Augustiniani, discalceati Carmelitæ* aliique.

Plures mendicantes admittunt possessionem temporaliam.

§. XXVI. Experientia edocti mendicantes, eleemosynas ad tantas Monachorum turbas alendas non sufficere, consultius judicarunt temporalium in communi admittere possessionem. Unde plures Sedis Apostolicæ prodierunt constitutiones, quæ eam possessionem admiserunt: quin in pluribus ordinibus nova statuta antiquioribus constitutionibus in hac parte derogarunt, & regulam restituerunt. Hanc inductam disciplinam probarunt Tridentini Patres, qui omnibus monasteriis tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium bona immobilia possidere concesserunt, exceptis fratribus Capucinis & Minoribus de observantia, qui in sua puritate Franciscanam regulam adoptaverant, & ne iterum in antiquas corruptelas mendicantes laberentur, in omnibus monasteriis voluerunt certum fratrum numerum profiteri, qui vel ex redditibus, vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari (*b*). Sed semel laxata mendicitate, in alterum extremum à summa paupertate nempe ad summas divitias mendicantes transierunt, utinam semper bonis artibus quæsitas. Et tamen non desierunt esse & nominari *mendicantes*, quum etiam admissa possessione temporalium, mendicitatem retineant.

Pii operarii.

§. XXVII. Demum quod spectat ad *pios operarios* eo nomine intelligimus viros religiosos, qui ad vota monastica aliquod pium opus addunt, quique nec mendicantes nec milites sunt. Tales sunt religiosi ordinis *sanctissimæ Trinitatis de redemptione captivorum*, qui à Joanne de Mata & Felice anachoreta Valesiensi instituti, & ab Innocentio III. probati (*c*) præter monastica vota onus redemptionis cap-

(*a*) Matth. Parisiens, ad an. 1243.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Reg. cap. 3.
(*c*) Innoc. III. lib. 1. ep. 481.

captivorum à servitute infidelium sustinent : in quam rem tertiam omnium reddituum partem debent impendere. Pii operarii quoque sunt, qui ordinem *S. Mariæ de Mercede* à Petro Nolasco institutum & à Gregorio IX. confirmatum profitentur : etenim pro christianis à servitute redimendis seipsos tradunt obsides. Sunt & aliæ multæ religiosæ familiæ, sed longius hanc historiolam excurrere instituti ratio non permittit. Plenius origines & progressus Monachorum multi illustrant, in primis Dadinus Alteserra, Aubertus Mireus, auctor historiæ cleri sæcularis & regularis Gallica lingua conscriptæ, Hospinianus, Mabillonius aliique.

CAPUT XXXVII.

De probatione monachatui præmittenda.

Novitiatus *professioni præmittendus.*

§. I. Probatio monachatui præmittenda, quam passim dicunt *novitiatum*, est diligens examen, quo voluntas ejus, qui converti desiderat, exploratur, num serio velit & possit monachatum profiteri. Durum & irrevocabile vitæ genus non est sine matura discussione suscipiendum. Etiam antiqui philosophi, nisi præmissa probatione, non admittebant ad vitam philosophicam. Cum ipsa vita cœnobitica invaluit probatio ; testatur enim Sozomenus (*a*), ex regula Pachomii neminem in societatem admissum, nisi gravioribus laboribus ad triennium exploratum. Et passim reliquæ cœnobitarum regulæ examen statuunt præmittendum. Antoniani vero solitarii, quum in nullam societatem admitterentur, nec ex cœnobiis discederent, nullum præmittebant examen, sed sponte sua anachoreticam vitam admittebant. Interest vero examen præmitti non minus postulantium, quam Monachorum, ne sera utrosque capiat pœnitentia, vel quod inauspicato nec ex plena animi deliberatione durum & perpetuum vitæ genus induerint, vel quod quietis inter se perturbatores admiserint & in regulam contumaces.

Quî instituuntur novitii tempore probationis.

§. II. Jam vero qui converti desiderant, non statim sunt ad probationem admittendi, sed tum demum quum constet, eos ex animo mundo velle renunciare, & alia abesse impedimenta, quæ excludunt monachatum. Ergo qui libere possunt & volunt monasticam profiteri philosophiam, in novitiatum solemniter admittuntur, & in cella ad hoc separata sub *seniore*, quem *magistrum novitiorum* di-

(*a*) Lib. 3. cap. 33.

dicunt, in monasticis exercentur asperitatibus & in regula & ordinis constitutionibus instituuntur (*a*), ut ita deliberent, an religionis onus subire velint, & congregatio de eorum vocatione judicet. In primis vero explorari debet, quæ causa impellat conversionem; nam inde constat, unde desiderium vitæ singularis accessit, quod recte Justinianus edixit (*b*). Scilicet antiquus morbus est, ut multi ex mundanis causis, veluti ad onera publica declinanda, aut ad aliorum jura invertenda, aut ad consequenda mundana commoda, aut ex desperatione ad monasteria procurrant, quos omnes repellendos esse natura ipsa jubet monachatus. In separata vero cella novitios institui & probari Monachorum patres voluerunt, forte ne videntes defectus Monachorum, in animum inducant profiteri religionem, quamvis ad regulam vivere non intendant. Quin ad meliorem novitiorum institutionem jussit Innocentius XII., ut in Italia & insulis adjacentibus singuli ordines constituant unum aut plura monasteria, ubi regularis vigeat observantia, & in iis sint scholæ, quæ ad religionem instruant, quo nempe novitii & præceptis & exemplis proficiant (*c*).

Duratio novitiatus.

§. III. Schola autem probationis ad monachatum non unius horæ aut diei negotium est. Monachi orientales, & præsertim Ægyptii tres annos probationi statuerunt (*d*) : quod tempus Justinianus servandum edixit (*e*). At regula Benedictina unius anni spatio inclusit probationem (*f*). Medium iter veluti tenens Gregorius M. (*g*) ante biennii conversationem neminem voluit tonsurandum. Et orientalis & Benedictinæ observantiæ monumenta Gratianus in decretum transtulit suum. Sub nomine Alexandri II. refert, per S. Benedictum & Gregorium M. vetari, *Monachum ante unius anni probationem effici* (*h*) : & sub nomine Bonifacii Papæ ita habet (*i*), *si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præstetur*. Fragmentum sub nomine Bonifacii ex novellis Justiniani desumptum est, quod adnotant Romani correctores (*k*), nisi quod voce *incognitus* auctum referatur, nec recte Bonifacio tribuatur. Ita ista duo fragmenta inter se non pugnant, sed variam pro locorum varietate proponunt disciplinam. At Gratianus veluti à duobus Pontificibus fragmenta referens, & eorum offensus varie-

(*a*) Reg Benedict. cap. 58.
(*b*) Novell. V. cap. 2.
(*c*) Innocent. XII. die 18. Junii ann. 1695.
(*d*) Sozomen. lib. 3. cap. 33.
(*e*) Novell V. cap. 2.
(*f*) Reg. Benedict cap. 58.
(*g*) Gregor. M lib 8 ep. XXIII.
(*h*) Can. I. c. 17. quæst. 2.
(*i*) Can. III. eod.
(*k*) Correct. Romani ad cit. cap. 3.

rietate, ad concordiam inter notos & ignotos distinxit, ut nempe annua probatio in notis, triennalis in ignotis locum haberet (*a*), quum tamen talis distinctionis nec apud Justinianum, nec in regula Benedictina vestigium extet. Quidquid vero sit de oscitantia Gratiani, Monachi fere omnes occidentales longe lateque diffusa regula Benedictina, nihil quidem Gregorii M. curantes constitutionem, quæ particularis videtur fuisse, annum dederunt probationi: quod jus Tridentini Patres confirmarunt (*b*), quo ipso tamen integra reliquerunt statuta ordinum, quæ longiorem præscribunt probationem.

Integer novitiatus præmitti debet professioni.

§. IV. Passim quidem Monachorum antiquæ regulæ conversioni probationem edicunt præmittendam; at ea non ad vim professionis pertinebat, nec necessaria integra debebat præmitti, novitius enim & monasterium, quorum causa instituta censebatur, ei poterant renunciare (*c*). Itaque passim apud Benedictinos aut non integra præmissa, aut omissa probatio, & ita inutilibus Monachis sanctissimus ordo gravatus. Et quamvis Innocentius III. vetuerit Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet & indiscrete admittant (*d*); tamen in vaga prohibitione perrexerunt Abbates probationem relaxare. Major vero apud mendicantes vigebat licentia. Interdictum Innocentianum ad Benedictinos spectare videbatur: & ita novelli tum fratres minores & prædicatores pergebant sine anno probationis ad professionem admittere, unde ordines suos gravabant potius, quam ornabant (*e*). Variis ergo Pontificum decretis abusibus occursum, sed nunquam efficaci medicina. Etenim tantum inter mendicantes illicitas Pontifices dixerunt professiones infra annum probationis editas, quæ proinde valebant, sed generaliter ad religionem, non vero ad ordinem, in quo emittebantur, obligabant (*f*). Et hoc jure viximus usque ad comitia Tridentina, in quibus statutum, professionem ante annum editam ita nullam esse, *ut nullam inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis vel ordinis observationem, aut alios quoscunque effectus* (*g*). Quod decretum à multis contentionibus & scandalis Dei Ecclesiam liberavit. Itaque jure novissimo integer annus probationis est ad monachatum necessarius, nec potest renunciari, curritque de momento ad momentum, & præterea debet esse continuus, hactenus ut si novitius duabus horis à monasterio abscedat,

(*a*) Grat. ad Can. II. eod.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Regul. c. 15.
(*c*) Cap. XVI. ext. de Regular.
(*d*) Cit. cap 16.
(*e*) Lupus schol. in decreta quædam S. Leon. IX. dec. 2. tom. 4. oper. E. V.
(*f*) Cap. II. & III. de Regular. in 6.
(*g*) Trident. sess. XXV. de Regul. cap. 15.

dat, probatio interrumpatur, quod sacra Congregatio declaravit (*a*). Verum in ordinibus, ubi longius tempus probationi dictum est, ultra annum omissum tempus non vitiat probationem (*b*).

Durante probatione liber est ad sæculum reditus.

§. V. Jam vero quo usque durat probatio ante professionem emissam liberum est novitiis à proposito discedere, & alium vitæ genus suscipere; quod passim regulæ Monachorum supponunt, & finis inductæ probationis demonstrat. At Innocentius III. distinguendum duxit, utrum ii, qui convertuntur, omnino proposuerint vitam mutare, an sub conditione tantum experiri voluerint religionis observantiam (*c*). Et priori casu denegat discedendi potestatem, tantumque veluti per indulgentiam permittit, ut in regula vivant laxiori; in posteriori vero discedendi relinquit libertatem, ita tamen ut *sæculariter* non vivant. Quod idem Gregorius IX. probavit, eo tantum excepto, quod liberam ad sæculum redeundi fecerit potestatem, quo casu evidenter non constat, novitios absolute vitam mutare voluisse (*d*). Sed non omne sanctum & absolutum propositum vim voti in se continet: quin ea admissa distinctione tempus probationis evanescit, quod semper qui probationem admittunt, fere seria voluntate ad vitam monasticam ducuntur. Unde sapienter Tridentini Patres novitiis intra annum probationis integram discedendi faciunt potestatem (*e*): quo decreto monasticam probationem minus duram & intricatam reddiderunt.

Qua veste novitii probantur.

§. VI. Probationem monachatus tirones subeuntes, eaque durante ex antiqua disciplina vestes non induebant monasticas, sed in proprio habitu & tonsura persistebant. Id supponit regula Benedictina (*f*), & diserte statuunt Regum Francorum capitularia: *Ipse* (novitius) *nec tondeatur, nec pristina vestimenta immutet, priusquam obedientiam promittat.* Nec alia sæculo sexto videtur fuisse orientalium disciplina; statuit enim Imperator Justinianus, novitius probari *tonsura & veste eorum, qui laici vocantur* (*g*). Stante novitiorum libertate ad sæculum redeundi, nefas videbatur iis tradere vestes monasticas, quas inde exeuntes profanarent. Sed inde disciplina mutata fuit: & in Oriente novitii probati *parvo habitu*, qui inter vestem monasticam & laicam medius erat: in Occidente vero in ipsa veste monastica, quam dum induunt, probatio cœpta cen-

(*a*) Ap. Fagnan. ad cap. *Ad nostram* ext. de Regul. n. 27.
(*b*) Espen. part. 1. tit. 25. cap. 2. n. 24.
(*c*) Cap 20. ext. de Regular.
(*d*) Cap. 23. ext. eod.
(*e*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 16.
(*f*) Reg. Bened. cap. 58.
(*g*) Novell. V. cap. 2.

censetur. Tempore Gregorii IX. in Occidente jam alicubi in monastica veste novitii probabantur (*a*). Mutatæ apud Latinos disciplinæ causa olim omissa probatio videtur fuisse. Scilicet quum sæculis XII. & sequenti passim posthabita probatione Monachi fierent, atque ita ab ipso ingressu tonderentur & vestirentur in Monachos; postquam Pontifices & Concilia probationem urgere cœperunt, remansit recepta consuetudo, ut initio probationis monasticus habitus sumeretur, quod Espenius observat (*b*). Et ita minor facta libertas novitiorum ad sæculum redeundi: nam, prout sunt mores, abjectio vestis monachalis nescio quid turpis solet importare, passimque veluti digito monstrantur, qui à monastica schola recesserunt.

Quî de rebus suis disponunt novitii.

§. VII. Solemnis eorum, qui monastica philosophia initiari cupiebant, mos fuit, ante probationem, vel ea durante, vel saltem ante professionem de rebus suis disponere vel condito testamento, vel alia quacunque inter vivos liberalitate. Vitam perfectam appetentibus ab ea sententia, *si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, erat ordiendum, quod plures Monachorum regulæ præcipiunt (*c*). Non tamen necessario sua pauperibus largiri novitios oportebat, nam modo ipsi nudi sequerentur Jesum Christum, tantundem erat, si parentibus suis, vel monasterio sua bona tribuissent. Certe regula Benedictina novitiis dat optionem, ut ante professionem res suas erogent pauperibus, vel in monasterium, cujus bona pauperum reputantur, inferant (*d*). Verum nihil magis novitiis nocuit, quam præceps rerum suarum irrevocabilis facta elargitio. Facti inde sunt minus liberi, & seipsos ad edendam professionem, ne in sæculo mendici viverent, per indirectum coegerunt. Ergo Tridentini Patres statuerunt, ut nulla obligatio aut renunciatio ante professionem facta etiam cum juramento, vel ad pias causas, valeat, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat, & jure facta, nisi post professionem effectum non sortiatur suum: adduntque, ne ante professionem quocunque prætextu à novitiorum parentibus, propinquis vel curatoribus monasterio aliquid de bonis eorum, excepto victu & vestitu, tribuatur, ne hac occasione discedere nequeant (*e*). Ita libertati novitiorum plene provisum. Constitutio generalis est, sed quia tendit ad fovendam novitiorum libertatem, hinc passim eam ad irrevocabiles tantum dispositiones (*f*), & ad intuitum vitæ monasticæ factas restringunt, quales donationes inter vivos, officiorum publicorum & beneficiorum renunciationes (*g*).

CA-

(*a*) Cap 23. ext. de Regular.
(*b*) Esp. part. 1. tit. 25. cap. 3. n. 5.
(*c*) Reg. S Fructuosi cap. 4.
(*d*) Reg. Benedict. cap. 58.
(*e*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 16.
(*f*) Interpretes ap. Barbos. in collect ad cit. Trid. cap. n. 14.
(*g*) Tambur. de jure Abbat. tom. 3. disp. 6. q. 10. n. 3.

CAPUT XXXVIII.

De Monachorum professione.

Professio monastica tacita.

§. I. Probationis tempore exacto, si in sancto proposito candidatus perseverat, inter Monachos per *professionem* cooptatur. Est professio certe religionis promissio, qua quis ad observantiam alicujus probatæ regulæ se perpetuum adstringit, factis ipsis vel adhibitis solemnitatibus declarata. Unde duplex genus professionis *tacita* nempe & *solemnis*, prout nempe externis signis, aut adhibitis solemnitatibus edatur. Antiquiores Monachi tacite videntur monachismum admisisse. Ex regula Pachomii exacto probationis triennio conversi assumpto tantum angelico habitu sine alia solemnitate Monachorum convictus fiebant participes (*a*). Quin jure decretalium gestatio per annum habitus monachalis (*b*), & absoluta voluntas religionis etiam ante finitam probationem (*c*) pro professione habentur. Nec jure Concilii Tridentini tacita professio per habitus gestationem videtur rejecta, modo fiat ætate legitima & integra præmissa probatione (*d*), quamvis in pler isque provinciis non amplius admittatur.

Professio monastica solemnis.

§. II. *Solemnis* professio multiplicatis Monachorum gregibus ex sententia Ivonis Carnotensis inducta est (*e*). Quum enim monachatus esset durum vitæ genus, quod semper obligaret, consultius visum est, solemni certaque ratione monasticas fieri professiones, ut fortius se obligatos profitentes intelligerent, & proposito cadentes pluribus convincerentur testimoniis. Ergo solemniter professurus religionem, coram omnibus in oratorio viva voce formulam voti recitat, eamque manu sua scriptam aut signatam tradit; & monasterii superior recipit promissionem. Solemnes quoque preces vel ab Abbate, vel à monasterii Presbytero super profitentem Monachum recitatæ, quibus ei benedicebatur, & Deus invocabatur, ut gratiam ad sustinenda onera monachatus conferret: unde professiones nomine *benedictionis* veteres appellarunt (*f*). Quin apud Græcos Monachis in professione signaculum quoddam videtur impressum. Et sane Trullani Patres Monachi benedictionem σφραγίδα *notam* Monacho imprimendam appellant (*g*). Vide-

(*a*) Sozom. lib. 3. cap. 33.
(*b*) Cap. 22. ext. de Regular.
(*c*) Cap 20. ext. eod.
(*d*) Fagnan. ad cap. *Ad nostram* ext. eod.
(*e*) Ivo Carnotens. ep. XLI.
(*f*) Conc. Trull. Can. XL., Ivo Carnotens. ep. cit.
(*g*) Conc. Trull. cit. Can. XL.

detur autem σφραγὶς illa fuisse signum crucis, eo nomine apud christianos scriptores sæpe nuncupatum, in benedictione Monacho impressum, idque ea ratione confirmari potest, quod lectores & cantores apud Græcos signaculis impressis media ætate creabantur, quod Jo. Zonaras & Balsamon testantur (*a*). Moribus præsentibus fere receptum, ut Monachorum professiones à publico tabellione præsente in publicum redigantur instrumentum.

Vestis monastica.

§. III. Jam vero Monachi in professione habitum suæ religionis solemniter induunt, & in Monachos tonsurantur. Et quantum ad vestes Monachi sub Pachomii regula viventes proprias vestes, & eas quidem asperas & à communi hominum usu diversas habuerunt, quod multis tradit Cassianus (*b*). At vero Monachi Occidentales modestis & à vocatione sua minime alienis, sed communibus vestibus initio utebantur (*c*), quamvis non defuerint, qui catenati & superstitioso incederent amictu (*d*). Præsertim vero pallium induerunt, quod etiam alii christiani, qui asceticum vitæ genus sectabantur, faciebant. Unde non secus ac alios christianos palliatos, ita etiam primos Monachos solemni verbo, *impostor & Græcus est*, dissolutiores christiani deridebant (*e*). Videbantur scilicet christiani & Monachi palliati sumpto Græco habitu castos & philosophicos mores mentiri voluisse. Sed inde Monachi omnes proprias induerunt vestes, easque nigri coloris, qui etiam ab initio monachatus proprius renunciantium videtur fuisse. Etenim color niger signum mœroris & mœstitiæ erat, & Monachi perpetuæ se addixerunt pœnitentiæ. Uniformis & nigra Monachorum vestis stat adhuc in Oriente; at in Occidente sæculo XI. cœperunt Monachi inter se vestibus distingui, quæ diversitas eundo crevit, hactenus ut singulæ Monachorum familiæ proprias & coloribus distinctas vestes induant. Vestem monasticam *habitum angelicum* appellant Græci, vel quia Patres vitam monachalem sæpe titulant *angelicam*, vel quia Pachomius angelica visione monasticum amictum vidisse perhibetur (*f*). Vocant quoque *habitum magnum* ad vestis parvæ novitiorum differentiam. Angelicum habitum in professione etiam hodie Græci suscipiunt, at Latini jampridem in veste monachali probantur, quam tempore professionis benedictam solemniter suscipiunt.

Tonsura monastica.

§. IV. Porro simul cum veste qui monachismum profitentur monas-

(*a*) V. Lupum in cit. Can. Trullanum.
(*b*) Cassian de Institut. renunc lib. 1.
(*c*) Bingh. lib. 7. Orig. cap. 3. §. 6.
(*d*) Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. cap. 12.
(*e*) Hieronym. ep. XXIII. ad Marcellam.
(*f*) Lupus schol. in quædam decreta Leon IX. decr. 1.

nasticam sumunt tonsuram. Generatim olim christiani comam longam & calvitium evitabant, mediumque tenentes iter, modesto erant capillitio. Nec sane aliter videtur fuisse primorum Monachorum tonsuram. Etenim Epiphanius, Hieronymus & Augustinus (*a*) Monachos damnant, qui femineos gerebant crines: nec ex alia parte ad exemplum Sacerdotum Isidis atque Serapidis caput rasisse videntur. Sed paulo post à recepto capillorum cultu Monachi discedentes, capillos ad cutem & inæqualiter tondere cœperunt, ut ita hominibus essent despicabalis. *Conservuli & compallidi nostri*, inquit Paulinus (*b*), *horrentibus ciliciis humiles, sagulis palliati, veste succinti, casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & honorabiliter despicabiles.* Et Salvianus Monachos Africanos simili pene modo tonsos & indutos exhibet (*c*). Sic composita monastica tonsura longe distabat à tonsura Clericorum, quæ æqualiter detonso superius capite, inferius capillorum circulum relinquebat. Apud Orientales vero septimo sæculo Monachi integrum caput videntur rasisse; ea enim tempestate Theodorus Monachus Græcus toto superius raso capite in Angliam venit (*d*). Sed temporis lapsu passim Monachis in sortem Domini vocatis, monastica tonsura in clericalem degeneravit, quod in Anglia primum factum Thomassinus observat (*e*). Quæcunque autem esset monastica tonsura, eam in professione Monachi suscipiebant. Unde mediis sæculis *tonsurare* etiam Monachum facere significat.

Quæ ætas est professioni necessaria.

§. V. Quo vero monastica professio legitima sit, & ad susceptæ religionis obliget observantiam, ætate per Canones statuta & ex propria voluntate fieri debet. Et quantum ad ætatem professioni necessariam varia fuit Ecclesiæ disciplina. Basilius in professionibus virginum complementum rationis requirit, quod supra annum decimumsextum aut decimumseptimum definit (*f*). Chrysostomus vero generaliter teneram decem annorum ætatem ad monachatum dixit sufficientem, quod quum per omnem ætatem nobis dimicandum sit, à tenera ætate incipiendum (*g*): quos eodem annos pro arbitrio tamen Episcopi differendos aut præveniendos Synodus Trullana probavit (*h*). Sed Latina Ecclesia in utroque sexu pubertatem parem ad monachatum judicavit, & ita duodecim annos in feminis, quatuordecim in maribus requi-

(*a*) Epiph. hær. 80. Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. cap. 12. August. de Oper. Monach. cap. 31.
(*b*) Paulin. ep. VII.
(*c*) Salvian. de Gubernat lib. 8.
(*d*) Beda lib 4. cap. 1. & lib 5. cap 12.
(*e*) Thomass. part. 1. lib. 2. cap. 38. n. 16.
(*f*) Basil. ep. canon. Can. VIII.
(*g*) Chrysost. advers. vituper. vitæ monasticæ lib. 3. cap. 15. & seq.
(*h*) Conc. Trull. Can. XL.

quisivit (*a*) : nisi in insulis edatur professio, ubi propter duriorem monachatus conditionem plena pubertas, quæ decimo octavo anno censetur, requisita (*b*). Fuit hæc generalis Latinorum consuetudo, quæ tamen impedimento non fuit Cluniacensibus & Carthusianis, ut ante vicesimum annum in suos ordines non admitterent. Et hoc jure vximus usque ad comitia Tridentina, in quibus professioni religiosæ pro utroque sexu annus ætatis decimus sextus exactus dictus est, & ita quidem ut ante facta nulla esset (*c*). Quo decreto ordinum constitutionibus, quæ majorem requirebant ætatem, nihil derogatum, quod sacra congregatio declaravit (*d*). Paraverant Tridentini Patres decretum, quo decimus octavus ætatis annus ad professionem statuebatur: sed intercessit Bartholomæus de Martyribus, qui adfirmans, eos detrimento cœnobiis esse, qui à teneris annis illic sati non fuerint, Patres à sententia dimovit, induxitque, ut duos annos à proposita ætate decurtarent (*e*). Satius tamen fuisset secundum præsentem disciplinam etiam octodecim annis majorem professioni ætatem dici, nam in tenera ætate integrum vitæ monasticæ pondus non agnoscimus, & laxata in plerisque ordinibus claustri disciplina (qua stante Bartholomæi rationi locus erat), sæpe evenit, ut Monachi continuis egressionibus mundum diu post renunciationem agnoscant.

Consensus conversi ad professionem requiritur.

§. VI. Porro ad legitimam professionem necessarius quoque est ejus, qui convertitur, consensus. Si quodlibet vitæ genus sponte suscipiendum, multo magis monachatus, qui & perpetuum obligat, & ad exercitia adigit duriora. Votorum quoque religio, quæ spontanea esse debet, monachatui adnexa, facit ut ex spontanea voluntate monachatus suscipiatur. Porro probatio monachismo præmittenda aperte demonstrat, professiones ex voluntate faciendas; præmittitur enim, ut longius deliberandi tempus candidatis relinquatur. Et hinc in Concilio Moguntino statutum, ut nemo, *nisi spontanea voluntate*, tondeatur (*f*). Et Leo IX. constituit, *ut nullus Monachus, nisi legitima ætate & spontanea voluntate fiat*. Excommunicant quoque eos omnes Tridentini Patres, qui mulieres nolentes ad monachatum impellunt, & volentes deterrent (*g*) : & quo magis earum libertati consulerent, statuerunt, ut si puella, quæ converti desiderat, major duodecim annis sit, non ante habitum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam Episcopus, vel ejus nomine alius virginis voluntatem diligenter exploraverit, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat : cognitaque libera & pia ejus voluntate libere profiteri liceat,

(*a*) Ambros. lib. de Virginib. cap. 8. 11. & seq. ext. de Regular.
(*b*) Cap. 6. eod.
(*c*) Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 15.
(*d*) Ap. Fagnan. ad cap. *Nullus* ext. de Regul. n. 15.
(*e*) Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib. 24. cap. 6.
(*f*) Cap. 1. ext. de Regular.
(*g*) Trid. sess. XXV. de Reg. cap. 18.

ceat, modo tamen ante mensem præfecta monasterio Episcopum faciat certiorem (*a*).

Monachatus olim injectus invitis.

§. VII. Verum enimvero veteri stante disciplina etiam invitis injectus monachatus. Constans fuit Ecclesiæ Latinæ sententia Episcopos aliosque Clericos depositos monasteriis includere, eosque, monachismi injecto jugo, invitos tonsurare. Et Justinianus uxori adulteræ hanc imposuit necessitatem, ut fustigata in monasterium detrudatur, data marito intra biennium eam repetendi facultatem; quo non facto *tonderi eam & monasticum habitum* accipere jussit, ut pœnitentiam ageret perpetuam (*b*). Porro sexcenta prostant exempla tam virorum, quam mulierum, quibus Reges & alii potentiores monachalem tonsuram imposuerunt, ut vel fortunas & potentiam constabilirent suam, vel ut eorum divitias invaderent : cui violentiæ ipsi Principes etiam fuerunt obnoxii. Generatim hujusmodi per vim factæ professiones ex multorum sententia consistebant, hactenus ut ipsi per vim ad monachatum adacti, ejus pondus & vim aliquando agnoverint. *Non habitum horreo*, sunt verba Cæsaris Alexii Comneni per Isaacium Angelum ad monachismum adacti (*c*). *Quid enim vestis mutatio periculum habeat? Sed promissiones, quas secum fert habitus reformido.* Sed ex Græcis Episcopis multi inter incussum juste ac injuste metum aut vim illatam distinxerunt, solasque ex metu justo ratas habuerunt professiones, quod ex Balsamone Christianus Lupus (*d*) observat. Apud Latinos nono sæculo passim displicebant per vim factæ Monachorum professiones, & ita Canonibus statutum, ut inviti in religionem ingressi *sine justæ offensionis causa, nisi volentes non teneantur, quia quod non petunt, non observant* (*e*). Et ita rejectæ per vim factæ professiones, nisi in criminum pœnam decernerentur. Non tamen omnis metus nullam redit professionem : sed qui merito & in hominem constantem cadit, puta si mors, aut corporis cruciatus inferatur (*f*) : quo casu professio ratihabitione convalescit (*g*).

Servi & filiifamilias admissi ad monachatum.

§. VIII. Sed non tantum sponte & ætate per Canones statuta fieri debet professio religiosa; verum etiam requiritur, ut qui convertitur, in eo statu sit, quo libere vovere possit. Itaque in primis servi sine dominorum assensu tonsurari non debent, quod Canones & leges statuerunt. Injuria omnino visa est, dominos invitos rebus suis spo-

(*a*) Trid. loc. cit. cap. 17.
(*b*) Novell. CXXXIV. cap. 10.
(*c*) Ap. Nicet. Choniat. lib. 3. cap. 2.
(*d*) Lupus schol. in quædam decreta S. Leonis IX. decr. 2.
(*e*) Can. IX. c. 20. q. 1.
(*f*) Cap. 1. & 6. ext. de his, quæ vi metusve causa fiunt.
(*g*) Cit. cap. 1.

poliari. *Nullum*, inquiunt Patres Chalcedonenses (*a*), *in monasteriis servum recipi liceat, ad hoc ut sit Monachus, præter voluntatem domini sui.* Et lege lata Valentinianus III. interdixit, ne quis servus domino invito ad clericalem munus accedat, vel Monachis in monasteriis aggregetur (*b*). Latebat forsan Baronium Canon Chalcedonensis, aliter nulla suberat ratio, cur Valentiniani legem improbaret (*c*). Sed inde Justinianus servos dominis invitis permisit tonsurari, data tamen dominis contra servos furtorum reos, aut alias vitiosos intra triennium revocandi potestate, modo reipsa jus suum, objecta crimina malamque servorum vitam probaverint (*d*). Et ita novum manumittendi modum invexit per monachatum, quasi quod prohiberi non deberent, qui ad communem dominum transibant. Quæ sanctio non minus reipublicæ, quam monachatui nocuit, quod servi monasticum jugum præ servitute mollius reputantes ad religionem confugiebant, quamvis quidvis potius, quam Deo inserviendi in animum induxissent. Servis accedebant filiifamilias, quibus anathema Synodus Gangrensis dixit, si prætextu pietatis à parentibus recederent (*e*). Sed Justinianus, infirmata patria potestate, filiisfamilias etiam sine parentum consensu converti permisit (*f*). Inde pro adultis Justiniani lex semper obtinuit, nam quantum ad impuberes parentibus datum eorum professionem intra annum infirmare (*g*).

An milites & publici officiales Monachi fieri possint.

§. IX. Milites quoque publicis rationibus præfecti minus integram profitendi monachatus habent potestatem. Sunt milites reipublicæ necessitatibus adstricti, & publici officiales quandoque peculatus & aliorum criminum rei sunt, & ad Monachos potius transeunt socordiæ aut declinandorum criminum & rationum causa, quam Deo liberius serviendi desiderio. Ergo statuit Mauritius Imperator, ne publicis actionibus immisti cooptentur in clerum, & ne iidem ipsi præfecti publicis rationibus & milites ad monachismum convertantur, nisi per divales litteras absoluti, aut emeritis stipendiis. Pro ea parte, quæ militum conversionem spectat, legem evangelicæ pietati adversari Gregorius M. existimavit, & hinc pro ejus moderatione ad Imperatorem retulit, officiis & rationibus usus (*h*). Interim vero ad se missam legem quadam adhibita moderatione publicavit, vel potius ejus executionem suspendit, quousque Principis

(*a*) Conc. Chalc. Can. IV.
(*b*) Novell. XII. ad calcem Cod. Th.
(*c*) Baron. ad an. 452.
(*d*) Novell. V. cap. 2.
(*e*) Conc. Gangr. Can. XVI.
(*f*) L. 55. C. de Episc.
(*g*) Cap. 2. ext. de Regular.
(*h*) Greg. M. lib. 2. ep. LXII.

pis voluntas innotesceret. Etenim metropolitas hortatus est, ut milites, qui publicis rationibus non sunt implicati, non temere ad monachatum admittant, nisi eorum vita diligentissime fuerit inquisita, admissos vero triennio probari voluit, & inde si appareat, pro animarum suarum lucro sanctam conversionem elegisse, in Monachos tonsurandos (*a*). Ita sapientissimus Pontifex imperatoriam legem modificavit, non tamen pontificia potestate, sed quod, cognita Mauritii pietate, augurabat, talem moderationem non displicere, quo spectant verba illa Pontificis ad metropolitas, qui forte cum modificatione verebantur legem in usum revocare: *Qua de re etiam serenissimus & christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit* (*b*).

Conjuges post usum matrimonii ex compacto convertuntur.

§. X. Porro non omnes conjugati monachatum profiteri possunt, sed inter matrimonium consummatum & ratum distinguere oportet. Et quidem post carnis commistionem conjux altero invito converti prohibetur, & si reipsa convertatur, nulla professio est, & ad propria arva restituitur, quod sui corporis non habeat potestatem, & ne relictus adulterii periculo se exponat: quæ est constans Ecclesiæ sententia (*c*), Apostoli innixa auctoritati (*d*). Unde Justinianus, qui uxoratis etiam sine alterius consensu religionem profiteri permisit (*e*), hoc ipso quo favit monachismo, divinæ legi derogavit. Nec post conjugis mortem, qui conversum revocavit, tenetur reversus ingredi religionem, quamvis novas nuptias contrahere vetetur, nam ratum saltem habere debet votum pro ea parte, qua promisit, se amplius conjugi non adjungere: quod Alexander III. & Cælestinus III. responderunt (*f*). Quod si conjuges ex compacto agant, licita est conversio, modo ambo religionem ingrediantur, aut saltem, qui in sæculo remanet, votum emittat castitatis. Et in hac specie suspenditur potius usus matrimonii, quam vinculum ipsum solvitur. Quod Deus conjunxit, homo non separet. Unde uterque conjux debet converti, aut saltem qui remanet in sæculo, voto castitatis ligari. Et quamvis Gregorius M. & Nicolaus I., quando ex compacto conjuges convertuntur, docere videantur etiam ipsum matrimonii vinculum abrumpi (*g*); ta-

(*a*) Greg. M. lib. 7. ep. XI.
(*b*) Greg. M. cit. ep. XI.
(*c*) August. ep. XLV. ad Armentarium & Paulinam, ap. Grat. Can. VI. c. 33. q. 5. o Paulin. ep. XIV. ad Celantiam inter epist. Hieronym.
(*d*) 1. ad Cor. VII. 4.
(*e*) L. 53. §. 3. & 6. de Episc. & Cleric.
(*f*) Cap. 3. & 12. ext. de Convers. conjug.
(*g*) Can. XIX. & XXVI. c. 27. q. 2.

tamen satius est eorum verba ad matrimonii usum, non ad vinculum referre.

Sed ante etiam altero invito eligunt monachismum.

§. XI. Verum ante corporum commistionem non tantum ex compacto, sed etiam altero repugnante possunt conjuges monasticam amplecti philosophiam. *Post consensum legitimum de præsenti*, inquit Alexander III. (*a*), *licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium* (*sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*) *dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos.* Perfecta vita, quæ homines Deo conjungit, non videbatur impedienda per nuptias in usum non deductas, quæ hominem homini conjungunt. Et ita Alexius, Euphemiani viri clarissimi filius, Tecla, Macarius, Gregoria, Leobardus aliique tum viri, tum feminæ de nuptiis ad Deum transiisse feruntur (*b*). Quin quo de meliori statu interim conjuges deliberent, post contractas nuptias non statim matrimonio uti coguntur, sed habent bimestre ad monachismum eligendum (*c*). Tanta autem vis inest in hac specie conversionis, ut dissolvat matrimonium, hactenus ut qui in sæculo remanet, possit etiam novas nuptias contrahere. Vinculum matrimonii jure divino individuum in causa monachatus non ex consensu, sed potius ex corporum commistione repetere Pontifices videntur, *quia*, inquit Alexander III., *quum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere* (*d*): quamvis alias certum omnino sit, matrimonium solo consensu perfici, & ex edicto Christi præter fornicationis causam nullam aliam dimittendæ uxoris causam admitti (*e*). Quæ quum ita sint, eo minus mera sponsalia impediunt, quominus sponsorum alter religionem profiteatur.

Oblatio filiorum impuberum ad monasteria.

§. XII. Jam vero veteri stante disciplina non tantum propria professio, sed & parentum oblatio Monachum faciebat. Offerebant nempe parentes teneræ ætatis filios monasteriis, pro iis petentes monachatum, qua oblatione accepta statim filii Monachi censebantur, nulla plerumque suffulti spe, ut quo tempore ratio accederet, injectum onus possent excutere. *Monachum*, inquiunt Patres Concilii IV. Toletani (*f*), *aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnem ad sæculum interdicimus regressum. Paterna devotio* in hoc Canone late est accipienda,

(*a*) Cap. 2. ext. de Convers. conjugat.
(*b*) N. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. de Sacr. matrim. cap. 1. art. 7. prop. 3.
(*c*) Cap. 7. ext. eod.
(*d*) Cit. cap. 2.
(*e*) Matth. XIX. 9.
(*f*) Conc. Tolet. IV. Can. XLVIII.

da, ut maternam etiam comprehendat; constat enim ex antiquis monumentis etiam matres filios monasteriis obtulisse (*a*). Ab initio monachatus invaluerunt puerorum oblationes (*b*), videnturque profluxisse à Judaismo, in quo filii Deo oblati, in templi remanebant ministerio (*c*). Accessit monachatus celebritas, qua creditum, non posse parentes melius filiorum æternæ saluti consulere, quam iis ab infantia quærentes monachatus conditionem. Fiebat autem non sine solemnibus ad monachismum oblatio. In Missa tempore oblationis pater aut mater faciebat petitionem, & inde palla altaris puerum involvens, eum divinæ majestati in perpetuum servitium addicebat (*d*). Formulas ab offerentibus recitatas, Martene & Jo. Mabillonius collegerunt (*e*). Interim negligentia Monachorum oblatorum non minima fuit ruina monachatus (*f*): inauspicati enim pueri, qui non ex propria voluntate monachismo tenebantur, inde facti grandiores frena mordebant, nec secundum regulam vivebant. Ergo sæculo nono oblationes ad monasterium cœperunt displicere, & quibusdam Canonibus cautum, ut quo tempore intelligerent, ipsi pueri oblationem confirmarent (*g*). His tamen decretis non obstantibus perrexerunt deinceps oblationes (*h*), quas tandem omnino Cælestinus III. infregit, statuens, ut filii oblati ad annos discretionis pervenientes potestatem habeant excutiendi monachatum (*i*).

Monachi mundo mortui.

§. XIII. Per religiosam professionem spectata monachatus natura Monachi mundo moriuntur, passimque tanquam civiliter mortui reputantur. Sane in professione civitati, nuptiis, rerum proprietati, quin & proprio arbitrio perpetuum abrenunciant. Unde Trullani Patres monasticum statum *secessum ex vitæ strepitu & perturbatione* appellant (*k*). Et Ambrosius scribit (*l*), *Clericorum officia in theatro ac stadio, Monachorum instituta esse in spelunca & secreto.* Similiter Eutyches hæresiarcha dixit, *degere se in monasterio tanquam in sepulchro.* Et sub nomine Eugenii Papæ apud Gratianum fragmentum extat, quo diserte asseritur, Monachum *mundo mortuum esse, Deo autem vivere* (*m*). Itaque ex monachatus natura Monachi excluduntur ab omnibus ecclesiasticis & sæcularibus officiis, quæ mundi thea-

(*a*) Can. II. cap. 20. q. 1.
(*b*) Lupus schol. in quædam Leonis IX. decreta decr. 2.
(*c*) Can. IV. eod.
(*d*) Reg. Benedict. cap. 59.
(*e*) Martene de Antiq. Monach. ritib. lib. 5. cap. 5., Mabillon. in Analectis.
(*f*) Guibertus Abbas de Novigento lib. 1. de Vita sua cap. 8.
(*g*) N. Alexander Hist. Eccles. sæc. IX. cap. 5. art. 5. n. 5.
(*h*) Cap. 11. & seq. ext. de Regular.
(*i*) Cap. 14. ext. eod.
(*k*) Conc. Trull. Can. XL.
(*l*) Ambros. ep. XXV.
(*m*) Can. VIII. c. 16. q. 1.

theatrum & frequentiam requirunt civitatum. Sane jubent Patres Chalcedonenses, Monachos quietem amplecti, & soli jejunio & orationi vacare, in quibus mundo renunciarunt locis perseverantes, nec ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerere, propria relinquentes monasteria, nisi quandoque eis à civitatis Episcopo præcipiatur (*a*).

Monachatus habitus veluti secundum baptisma.

§. XIV. Mundo Monachi mortui, Deo in professione renascuntur. Sane Patres monachatum veluti secundum baptisma, quo maculæ omnes post salutares undas contractæ abstergerentur, passim reputarunt. Hujus sententiæ prima vestigia S. Athanasius suppeditavit, qui refert, angelos in aera Antonium deducentes tetris spiritibus, qui obsistebant, & à nativitate deposcebant rationes, respondisse, *culpam à natali die omnem delevisse Dominum, licere autem illis à monachatus tempore, & à quo se Deo consecrasset, primordium exigendi capere* (*b*). Et Hieronymus de obitu Blesillæ, quæ ante quatuor menses monachatum professa erat, Paulam matrem volens consolari, scribit, Blesillam *secundo quodammodo propositi baptismo* lotam ad Deum convolasse (*c*). Sæculo sexto hæc erat Ecclesiæ Orientalis communis sententia; etenim Justinianus, qui novellas de rebus sacris adsidentibus doctissimis Orientalibus Episcopis conscripsit, affirmat, conversionem monachalem omnem Monachi maculam detergere (*d*). Et hinc Trullani Patres (*e*) professionem monasticam appellarunt *benedictionem gratiæ*, quæ auxilia ad monachatus onera sustinenda conferret. Videtur pro secundo baptismo habita ad monachatum conversio propter perpetuam, ad quam se Monachi devovebant, pœnitentiam. Ex hac opinione profluxit mos ille in utraque Ecclesia receptns, quo Principes & privati in mortis lecto decumbentes, habitum angelicum assumerent, & monachismum in fine profiterentur (*f*). Quod enim in peccatorum remissionem aquæ baptismum iterum suscipere vetarentur, sub finem vitæ ad monachatum, qui ejusdem effectus habebatur, seipsos converterunt. Qui mos apud Græcos ita invaluit, ut morientibus etiam non petentibus amici monasticum habitum injecerint, quod Theodorus Balsamon testatur (*g*).

Monachi sine causa monasteriis egredi non possunt.

§. XV. Semel monasticam vitam professi ad *stabilitatem* obligantur,

(*a*) Conc. Chalced. Can. IV.
(*b*) Athanas. Vit. S. Antonii.
(*c*) Hieronym. ep. XXVIII. ad Paulam.
(*d*) Novell. V. cap. 1.
(*e*) Conc. Trull. Can. XL.
(*f*) Christ. Lupus schol. in quædam S. Leonis IX. decreta decr. 1. tom. 4. edit. Venet.
(*g*) Theod. Balsamon. in Can. XLVIII. C. Afr.

tur, quæ secundum regulam Benedictinam diserte promissa, duabus veluti partibus absolvitur, ut nempe Monachi monasterio non egrediantur, & monachatum amplius non deponant. Et vero continua in monasterio mora ad naturam monasticæ philosophiæ pertinet, quæ à mundi turbis remota, Deo & solitudini acquiescit (*a*). Unde veteres monasteriis Monachos egressos, non secus ac pisces extra aquas, vivere non posse credebant, passimque in Monachos invehuntur, qui in frequentia civitatum versantur (*b*). Et S. Benedictus ita ædificatum volebat monasterium, ut omnia ad vitam necessaria intus haberet, ne Monachis vagandi foras necessitas immineret (*c*). Monasterium autem, ubi perpetuam moram degere Monachi debent, est illud ipsum, in quo emiserunt professionem (*d*): nec nisi de Abbatis venia licebat de monasterio in monasterium transire. Interim in monasteriis inclusi Monachi in Ecclesiæ, proximi & monasterii necessitatibus in publicum prodire possunt, quod Canones & regulæ monasticæ permittunt, modo id fiat ex superioris venia & benedictione, uno aut pluribus comitibus datis, ut Monachi se invicem in itinere custodiant, nec extra monasterium sine venia manducent (*e*). Claustri disciplinam Camaldulenses & Carthusiani etiam servant, minus Benedictini, omnium vero minime mendicantes, qui ex proprio instituto, ut Clerici sint adjutorio, etiam per civitates debent discurrere. Eo minus mirandum, si passim pro superioris arbitrio mutant domicilium, ut hinc stabilitas apud mendicantes non amplius ad monachatum pertinere videatur.

Clausura perpetua monialium.

§. XVI. Quæcumque vero sit apud Monachos claustri disciplina, certe tamen moniales perpetuo in monasteriis includuntur: quod & natura monachatus & feminarum conditio postulabant. Et olim quidem M. Basilius claustri disciplinam omnibus Monachis communem majori studio in feminis servandam edixit (*f*). In monasterio virginum in Thebaide, ubi sæculo quarto S. Euphrasia vixit, nulla sacrarum virginum portis exibat, sed ad ostium janitrix erat, per quam responsa omnia prodibant (*g*). Et regula S. Cæsarii virgines, quæ sacrum Christi ovile intrarunt, toto vitæ tempore inde egredi non sinit (*h*). Verum hac super re nulla olim fuit generalis regula, qua omnes tenerentur moniales, nec earum clau-su-

(*a*) Conc. Chalced. Can. IV., Conc. Trull. Can. XLVI.
(*b*) Hieronym. epist. IV. ad Rustic.
(*c*) Reg. Bened. cap. 66.
(*d*) Conc. Chalced. cit. Can. IV.
(*e*) V. Espen. part. 1. tit. 27. cap. 4.
(*f*) Basil. de Instit. Monach.
(*g*) Vita S. Euphras. ap. Bolland. ad 13. Martii.
(*h*) S. Cæsar. in Reg. ad Virg. Can. I.

sura eadem ratione ubique servata est, quod speciali tractatu Jo. Baptista Thiersius probatum dedit; quin in multis locis, corrupto monachismo, passim moniales à monasteriis egressæ, per habitacula sæcularium personarum discurrebant. Ergo Bonifacius VIII. generali edita constitutione moniales omnes perpetuo voluit in monasteriis inclusas, nisi tali morbo aliqua laboret, ut non possit cum aliis absque gravi periculo vel scandalo commorari (*a*). Idem Tridentini Patres statuerunt, ea tamen addita æquissima exceptione, ut *ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda* egressus permittatur (*b*). Nec enim tanquam perpetuos carceres monasteria oportet habere, in quibus sacræ virgines in pœnam includantur. Interim legitimas egressus causas ad *magnum incendium, infirmitatem lepræ & epidemiam* Pius V. restrinxit.

Monachi ad strictiorem ordinem transire possunt.

§. XVII. Porro stabilitas conversionis id quoque continet, ut semel susceptam regulam renunciantes teneant, nec ad alium ordinem transeant. Inducta in Occidente ordinum religiosorum diversitate, una irrepsit de religione in religionem transitus. Sæculo XII. sine Abbatis consensu improbabat B. Bernardus, ut quis à Cluniacensibus remissioribus ad austeros transiret Cistercienses propter scandalum ipsorum, quos deserit, quia certa pro dubiis relinquere tutum non est, & propter animi levitatem, qua idipsum fere uno eodemque momento appetimus, & nolumus, nisi in proprio ordine monachis peccandi necessitas immineat, quo casu (quod omnino peccandi vitari debeant occasiones) inculcat ordinis mutationem (*c*). Verum inde magis magisque multiplicatis ordinibus, quorum alii strictioribus, alii laxioribus vivunt institutis, tanquam regula statutum, ut à laxiori ad rigidiorem ordinem transitus esset, non è contrario à rigidiori ad laxiorem (*d*). Qui in stadio perfectionis currunt, amplius proficere non sunt impediendi, & nefas è contrario est à perfectione desciscere. Ne vero obtentu vitæ perfectioris Monachi decipiantur, qui ad rigidiorem religionem transeunt, rem superiori suo debent aperire, qui, omnibus diligenter expensis, veniam indulgeat, qua etiam non obtenta, libere possunt transire. *Ubi spiritus Dei est, ibi libertas*, inquit Innocentius III. (*e*), *& qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo.* Mendicantes tamen ad alios non mendicantium ordines præter Carthusianos sine venia Pontificis transire non possunt (*f*), idque

(*a*) Cap. 1. de Statu Regular. in 6.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 5.
(*c*) S. Bernard. lib. de Præcepto & dispens. cap. 16. Confer. S. Anselmus lib. 1. epist. XXIX.
(*d*) Cap. 18. ext. de Regular., Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 9.
(*e*) Cit. cap. 18.
(*f*) Extravag. 1. de Regular. inter comm.

que ea ratione statutum, ne obtentu strictioris religionis dignitates & monastica ambiant beneficia. Ad laxiorem religionem nisi ex indulgentia Pontificis transitus interdicitur, nec indulgentia concedi solet, nisi ex juxta causa, quæ alia non est, quam ægritudo, aut corporis infirmitas ad regulæ observantiam (*a*).

Monachi ad perseverantiam in monachatu adstricti.

§. XVIII. Sed à Monachis promissa stabilitas præsertim importat in monachismo perseverantiam, nec ad aliud vitæ genus transitum permittit. Qui vota monastica violant, & ad sæculum redeunt, *apostatæ* & *transfugæ* vocantur. Est à conversione apostasia grande facinus, utpote qua promissio solemniter Deo facta abrumpitur, & angelicus habitus profanatur. Ipsi gentiles viderunt, quam turpe esset à vita philosophica discedere. Pythagorei tanquam mortuos deplorabant, qui à communione philosophica ad sæculum redibant. Itaque Canones Chalcedonenses virgines & Monachos, qui post dedicationem suam nuptias contrahunt, excommunicant (*b*), & Synodus Aurelianensis I. Monachos matrimonium itidem attentantes inter Clericos vetat cooptari (*c*). Non tamen olim Monachi apostatæ ad monasterium redire cogebantur. Sane lege quadam Honorii Imperatoris ad perpetuam curiæ addicebantur servitutem (*d*), & constitutione Justiniani, bonis monasterio addictis, inter officiales judicis provinciæ ablegabantur (*e*). Et regula Benedictina tum demum in congregationem iterum admittebat fratres, qui proprio vitio deserebant monasterium, si vitii spondebant emendationem: qua facta sponsione in ultimo gradu recipiebantur, idque usque ad tertiam vicem (*f*). Sed inde indictum, ut Monachi desertores monasterio restituantur, quod Justinianus, sua anteriore lege revocata, constituit (*g*), & præsenti servatur disciplina, quæ Monachos desertores anathemate ad reditum compellit, & ad agendam pœnitentiam in ministeriis includit (*h*).

Monachi incorrigibiles.

§. XIX. Apostatis non meliores Monachi *incorrigibiles*, qui in monasteriis in peccatis perseverant, & omni adhibito studio in viam reduci non potuerunt. Incorrigibiles Monachos à monasteriis abjiciendos passim statuunt Monachorum regulæ, *ne una ovis morbida omnem gregem contaminet*, inquit S. Benedictus (*i*). Tum vero ad ab-

(*a*) Fagnan. ad cap. *Cum dilecti* ext. de Renunc.
(*b*) Conc. Chalced. Can. XVI.
(*c*) Conc. Aurelian. I. Can. XXI.
(*d*) L. 39. Cod. Th. de Episc.
(*e*) Novell. V. cap. 6.
(*f*) Reg. Bened. cap. 29.
(*g*) Novell. CXXIII. cap. 42.
(*h*) Cap. fin. ext. de Regular. Confer. Florens. tract. de Statu Monach. ad quæst. 1. & seqq. caus. 20.
(*i*) Reg. Bened. cap. 28.

abjectionem procedendum, quum omnibus adhibitis spiritualibus & corporalibus remediis, spes nulla affulget conversionis. Spiritualia remedia erant correctiones, adhortationes, excommunicationes & communis oratio: temporalia vero plagarum virgæ, quas ex antiqua disciplina, apud orientales etiam recepta, Monachi delinquentes subibant (*a*). Monachi autem tanquam incorrigibles ejecti ad laicam redibant communionem (*b*), non secus ac olim cum Clericis actum, quî ad laicos abjiciebantur. Verum secundum præsentem disciplinam incorrigibiles Monachi non ejiciuntur, sed in eodem aut alio monasterio ad agendam pœnitentiam retinentur, quod primus Gregorius IX. induxit (*c*). Et quanquam inde decreto Sacræ Congregationis ab Urbano VIII. probato iterum restituta sit incorrigibilium expulsio, modo tamen post alia remedia per Canones statuta in carceribus anni spatio jejunio & pœnitentia subigantur, & nihilominus in malitia perseverent; tamen non omnes provinciæ hoc decretum admiserunt (*d*).

Gratis fieri debet monastica professio.

§. XX. Professio religiosa omnino gratuita esse debet, & datis temporalibus emissa sapit simoniam, quam semper damnavit Ecclesia. Sane in spiritualem finem coalescit Monachorum societas, ac proinde nefarium est in ea partem habere per pecuniam. Quousque durus stetit Monachorum status, vix in admissione ad religionem audiri potuit simonia. Quis enim inter socios, qui mundo & commoditatibus in perpetuum renunciabant, pretio dato referri cupiebat? Sed postquam lautius Monachi vivere cœperunt, & officia claustralia abierunt in beneficia propriis redditibus donata, pro ingressu in religionem temporalia oblata & recepta sunt. Unde in Concilio Nicæno II. aliisque indè celebratis, & Summorum Pontificum Decretalibus statutum, ne Monachi propter temporalia in monasteria recipiantur (*e*). Sunt tamen probe distinguenda sponte oblata ab exactionibus. Etenim viri alias monachatu digni, si se & sua sponte offerant monasteriis, nullo vitio laborat datus monachismus, modo recipientes Monachi id faciant non propter oblata temporalia, sed sola conversi bona voluntate ducti, hactenus ut eum sine bonis gratanter admitterent (*f*). At exactiones nullo titulo, ne monasterii quidem paupertate, qua fit ut recipiendi non possint sustentari, Canones admittunt (*g*). Et quamvis natu-

(*a*) Pallad. Hist Laus. cap. 6.
(*b*) Isidor. ap. Menard. ad cap. 37. Conc. Reg. §. 4.
(*c*) Cap. fin. ext. de Regular. Conf. Fagn. ad cit. cap.
(*d*) V. Espen. part. 1. tit. 27. cap. 7.
(*e*) Conc. Nicæn. II. Can. XIX., cap. 2. ext. de Statu Monach. c. 8. ext. de Simon.
(*f*) S. Bonavent. libello apol. quæst. 18.
(*g*) Cap. 40. ext. de Simonia, Extravag. *Ne in vinea* de Simonia inter commun. Confer. Espen. part. 1. tit. 26. cap. 2.

tura sua malum non videatur à pauperibus monasteriis ad novorum sodalium sustentationem aliquid exigi; tamen ne obtentu paupertatis peccandi detur occasio, sapienter Canones, nec in casu veræ monasterii paupertatis aliquid à profitentibus exigi edixerunt. Quæ quum ita sint, vix est, ut defendi possint dotes, quas alicubi Monachi, & in omnibus fere provinciis moniales monasteriis præbent: etenim nec sunt spontaneæ largitates, quod sine iis aditus non patet in monasteria, nec titulo paupertatis recipi possunt. Quin nec speciem sapiunt transactionis, quam de futuris monialium successionibus cum parentibus veluti ineunt monasteria, quod contra Christianum Lupum pluribus Espenius demonstrat (*a*). Cæterum è republica saltem esset, ut ejusmodi dotes post mortem ingressarum eo, unde profectæ sunt, reverterentur, ne sensim redditus civitatis in monasteria transferantur.

Quî impugnatur emissa professio.

§. XXI. Sæpe contingit, ut Monachi professionem impugnent suam, eamque vel vitio ætatis, vel defectu probationis, vel ratione metus incussi nullam dicant. Pro lubitu exibant monasteriis, qui olim veniebant contra professionem, nec, nisi finita causa, ad monasterium redire cogebantur, ut adnotant interpretes (*b*): quod multa incommoda in rem monasticam importabat. Unde Tridentini Patres statuerunt, ut regulares contra suam professionem venientes intra quinquennium à die admissi monachatus causas nullitatis & coram superiore suo & loci ordinario deducant: & si antea sponte sua habitum deponant, ad allegandam quamcumque causam non admittantur, sed pœnis apostatarum obnoxii ad monasterium cogantur reverti, & interim nullo suæ religionis fruantur privilegio (*c*). Pro omnibus causis, quibus nulla professio est, quinquennium ad actionem proponendam Patres dixerunt. Unde concludunt canonistæ, etiam perpetua impedimenta eo quinquennio comprehendi, nec post quinquennium proponi posse, nisi tamen impedimentum sit notorium facti permanentis, veluti si vir in veste muliebri professionem inter moniales emiserit, nam in hac specie etiam post quinquennium causa nullitatis professionis admittitur (*d*). Interim exacto quinquennio, quo possint Monachi professionem impugnare suam, ab apostolica Sede causa cognita in integrum restituuntur (*e*). Et moniales præsertim in Italia etiam intra quinquennium sine speciali apostolicæ Sedis indulto, fere nunquam concesso, contra professionem venire vetantur.

CA-

(*a*) Espen. diss. de peculiarit. in relig. part. 2. cap. 2.
(*b*) V. interpretes ad cap. 1. ext. de his quæ vi metusve causa.
(*c*) Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.
(*d*) Fagn. ad cit. cap. 1.
(*e*) Cardin. de Luca discur. 41. de Regul.

CAPUT XXXIX.

De votis & exercitiis monasticis.

Tria Monachorum vota.

§. I. Vita monastica semel admissa Monachos omnes etiam ex voto ad *obedientiam*, *paupertatem* & *castitatem* adstringit, quæ tres virtutes fere universam monachatus continent naturam. Primi cœnobitæ facto ipso videntur in monachismum admissi, quo ipso ad vitam monasticam erant adstricti; at diserte nullum emittebant votum. Inde cœperunt Monachi ex voto sanctam profiteri conversionem, ad minimum ne statum semel susceptum pro lubitu mutarent. Et vero Augustini Clerici, qui more Monachorum vivebant, perseverantiam in suscepto statu vovebant (*a*), quod Augustinus ex regulis monasticis videtur mutuasse. Quidquid vero sit de Monachis antiquioribus, certe secundum Benedictinam, qualis nunc stat, formulam, qui profitetur, loci *stabilitatem*, *morum conversionem* & *obedientiam* diserte promittit (*b*), unde saltem interpretatione tria vota monastica emanarunt, quibus ad obedientiam, paupertatem & castitatem Monachi omnes se adstringunt, & secundum aliquas formulas diserte promittunt. Videtur monachismo addita religio voti, ut fortius obligaret, & exercitia monastica Deo essent acceptiora. Interim præter obedientiam, paupertatem & castitatem multi Monachorum vota emittunt peculiaria. Et ita Ordines militares peculiare habent institutum tuendæ armis religionis, & Monachi sanctissimæ Trinitatis præterea vovent captivorum redemptionem, Jesuitæ vero spondent devotam Pontifici obedientiam in omnibus, quæ ad salutem animarum & ad fidem propagandam sunt necessaria.

Monachorum obedientia.

§. II. Prima Monachorum obligatio es *obedientia*, qua proprium deponunt arbitrium, in omnibus à voluntate superioris pendentes. Vivunt Monachi sub regula & præposito vitam communem, omnesque eorum actiones ad pœnitentiam & perfectionem tendunt, quasi in continua existant schola educationis. Unde semetipsos debent abnegare, & in omnibus à professa regula & superioris pendere voluntate. *Prima apud eos*, inquit de Monachis sui temporis Hieronymus (*c*), *confœderatio est obedire majoribus, & quidquid jusserint, fa-*

(*a*) August. serm. 49. & in psal. 75. Conf. Thomas. part. 1. lib. 3. cap. 3. §. 6.
(*b*) Reg. Bened. cap. 58.
(*c*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 15.

facere. Et Sulpitius Severus (*a*), *Præcipua ibi virtus & prima est obedientia*. Non debent autem ut servi dominis, sic Monachi superioribus obedire suis, sed *sine mora*, *non tepide & cum bono animo*, quæ tria in monastica obedientia S. Benedictus requirit (*b*). Obediunt nempe Monachi non ex timore, sed ex charitate & amore perfectionis, qui amor moram non admittit, ferventer & ex animo deservit. Nec in uno aut altero articulo superioribus Monachi debent obedire, sed in omnibus, quæ nec divinæ legi nec regulæ adversantur: quin nec aliquid sine eorum consensu agere possunt; abrenunciant enim Monachi proprio arbitrio, & alieno judicio & imperio ambulant. Et hinc jubentibus superioribus non est Monachorum expendere, num mandata vires excedant, num tempore importuno præcipiantur, num per alios æque commode peragi possint, & si quæ sunt alia, quæ in similibus casibus quæri possunt. Quo sensu Monastica obedientia ab antiquis Patribus *cæca* nuncupatur; non vero quasi omnino usum rationis Monachi deperdant, & cæci etiam debeant obedire, quum superiores adversus Deum & regulam aliquid jubeant. Non plus quam expedit, Monachi subjecti sunt (*c*): & Deo magis quam hominibus oportet obedire (*d*). Unde jure meritoque S. Bernardus quemdam Monachum Adamum exagitavit, qui per omnia cæcus non expendebat qualia erant seniorum jussa, & ad se excusandum obedientiam obtendebat (*e*).

Paupertas *monastica*.

§. III. Porro vovent Monachi *paupertatem*, quæ ex natura monachatus in rerum omnium temporalium consistit abdicatione. Sane vita communis, in qua Monachi vivunt, & perfectio evangelica, quæ omnia vendere & pauperibus tribuere edicit (*f*), non patiuntur inter Monachos proprietatem. Et recte Innocentius III. respondit, abdicationem proprietatis adeo esse adnexam regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere (*g*). Itaque jampridem à Monachorum familiis vocabula *meum* & *tuum* sunt eliminata, iisque vocabulum *nostrum* substituunt, rerum denotans communionem (*h*). In hoc statu positi Monachi manuum labore olim vivebant, unde redactos fructus in communionem societatis usum conferebant; nunc vero vel ex statis monasteriorum redditibus, aut emendicata stipe vivunt pro varietate monas-

(*a*) Dial. I. cap. 11.
(*b*) Reg. Benedict. cap. 5.
(*c*) Can. LVII. c. 2 q. 7.
(*d*) Basil. in regulis breviter disputatis quæstionibus 114.
(*e*) S. Bernard. epist. VII.
(*f*) Matth. 19. 21.
(*g*) Cap. 6. ext. de Statu Monach.
(*h*) Menardus in concord. regul. cap. 45. ad §. 18.

nasteriorum, quæ in communi admittunt, aut respuunt proprietatem. Unde singuli ex communi penu habent necessaria, quæ dum accipiunt, curare debent, ne tanquam propria ea teneant, vel iis tanquam propriis utantur, aliter in vitium incidunt proprietatis; & quidquid adquirunt non sibi, sed monasterio adquirunt. Administrant autem in monasteriis, quæ statos redditus possident, omnia œconomi, quos pro arbitrio removere possunt superiores (*a*). Interim nihil obstante proprietatis abdicatione, quam singuli Monachi profitentur, per leges Justiniani ad legitimas hæreditates admittuntur (*b*), easque adquirunt monasterio. Qua in re Monachi servis similes sunt, qui licet essent dominii incapaces, ex persona tamen dominorum hereditates & legata capiebant. Sed prorsus paupertati monasticæ repugnat factio testamenti Monachis ante Justinianum permissa (*c*). Et bene est, quod jure canonico Monachi à factione testamenti exciderunt (*d*): quin in multis provinciis amplius ad legitimas hereditates non admittuntur (*e*).

Peculia Monachorum adversantur paupertati.

§. IV. Quando igitur natura monachatus non admittit proprietatem, patet, in Monachis peculium adversari voto paupertatis. Nomine peculii in hac causa venit pusilla pecunia, quam Monachi parsimonia sua & labore sibi parant, vel parentum vel amicorum dono adquirunt, eamque à monasterii rationibus separatam in usus proprios expendunt. Sane dum aliquid à monasterii rationibus separatum Monachi possident, hoc ipso convincuntur à communione recessisse, nec omni proprietate se abdicasse. Nec quod usus peculii tantum penes Monachos dicatur, proprietate penes communitatem existente, in peculiatos Monachos excusat (*f*). Etenim in hac causa proprietas & usus convertuntur, quod ipsa glossa observavit (*g*). Ad rem Dionysius Carthusianus (*h*): *Magis nocet religioso habere usum peculii sine proprietate, quam habere proprietatem sine usu. Proprietas namque in se non est peccatum, nec ad peccandum inducit; nisi per usum rei:... Immo quantum ad progressum de malo in malum parum aut nihil refert, an habeatur usus sine proprietate, an cum proprietate.* Quin nec ex superioris indulgentia licet Monachis peculia possidere, quod Fagnanus agnoscit (*i*). Et quæso qua ratione possunt superiores Monachis peculia permittere, quando naturæ monachatus adversantur? Facit Innocentius III. qui respondit, non

(*a*) Cap. 2. ext. de Statu Monachor. Conc. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 2.
(*b*) L. 56. c. de Episc. & Cleric.
(*c*) L. 13. c. de SS. Ecclesiis.
(*d*) Cap. 2. ext. de Testam
(*e*) Espen. part. 1 tit. 29. cap. 2.
(*f*) Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2.
(*g*) Glossa ad cit. cap. 2.
(*h*) Tract. de reformat. claustri art. 16.
(*i*) Fagn. ad cap, *Monachi* ext. de Statu Monachor. n. 122.

non posse Abbates, quin nec summum Pontificem Monachis permittere propietatem (*a*), ac ita nec possunt permittere peculium, quando in hac causa peculium & propietas idem sunt (*b*). Ex veteri instituto apud quem defunctum pecunia reperiebatur, ei tanquam in manifesto peccato mortuo sepultura denegatur (*c*). In monte Nitriæ mortuo olim Monacho, qui ex laboribus suis centum solidos sibi reservaverat, Monachi quid facto opus esset, consilium inierunt, & sancto prælucente Spiritu ea prævaluit sententia, una cum Monacho in sterquilinio sepulto pecuniam infodiendam, ut ei esset in perditionem (*d*).

Vetitum Monachis fundos assignare.

§. V. Verum enimvero quamvis omnino Monachismo peculia repugnent, & Monachi ex communi penu vivere debeant: tamen post instituta regularia beneficia in quibusdam monasteriis Abbates & officiales claustrales à convictu recesserunt, utpote qui perpetuis regularibus beneficiis aucti sunt, unde accipere cœperunt victualia. Nempe lapsa Monachorum disciplina Abbatibus à communibus monasterii redditibus mensa distincta data est, quæ perpetuos fructus habuit adnexos; maloque Abbatum exemplo etiam reliqui monasterii officiales proprios perpetuosque officiis suis reditus obtinuerunt. Et ita officia monastica, invita Monachorum disciplina, in dignitates & regularia beneficia degenerarunt. Porro ordinum militarium sodales possident commendaturas, quæ sunt instar beneficiorum, iisque tanquam rebus propriis tam libere & abunde fruuntur, ut iis potius prosit, quam noceat professio paupertatis. Tantum post mortem apparet, Monachos beneficiarios esse pauperes, quia nec legitimum hæredem habere, nec testamentum condere possunt, iisque succedit monasterium, quod etiam obtinet in reliquis Monachis, qui bona morientes relinquunt. Appellatur hæc successionis species *spolium*, quod consueverint Monachi ante mortem bona omnia in manus superiorum resignare, quasi jubeat monachatus, ut potius moriantur, quam vivant pauperes. Interim jure Concilii Tridentini restituta est pristina disciplina; etenim non tantum regularibus omnibus interdicta est mobilium & immobilium possessio; verum etiam vetiti sunt superiores ne deinceps alicui regulari bona stabilia quocumque titulo concedant. Statutum quoque est, ut utensilia, quæ superiores Monachis concedunt, sapiant paupertatem, & qui aliter quidquam possidere convincuntur *activa* & *passiva voce* privantur, præter pœnas in regula & constitutionibus statutas (*e*).

Cas-

(*a*) Cap. 6. ext. de Statu Monachor.
(*b*) Confer. Espen. diss. de peculiarit. in religione part. 1. cap. 2.
(*c*) Cap. 2. ext. de Statu Monach.
(*d*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 14.
(*e*) Trid. loc. cit.

Castitas *monastica.*

§. VI. Vovent demum Monachi omnes *castitatem* quæ & à vetitis omnibus carnalibus impuritatibus, unde christiani omnes etiam arcentur, & à nuptiis involvit abstinentiam. Carnales voluptates cum duriori vitæ genere, quod Monachi profitentur, consistere non possunt. Etiam Esseni & therapeutæ apud Judæos ab uxoribus abstinebant, ut pote qui ascesi & contemplationi erant addicti (*a*). Unde Innocentius III. castitatem, non secus ac pauperatem, adeo Monachismo propriam duxit, ut eam nec summi Pontifices possint relaxare (*b*). Et vero contradictionem involvit, ut quis & Monachus sit simul & maritus. Sacrarum virginum & Monachorum castitatis custos Ecclesia, olim excommunicavit quotquot ex iis contraherent matrimonium (*c*). Et Jovinianus Imperator capite puniendos edixit, qui sacras virgines ad matrimonium sollicitarent (*d*). Interim quæcumque erat pœna in virgines & Monachos nuptias contrahentes, non tamen in veteri disciplina attentata eorum matrimonia nulla videntur fuisse. Sane Innocentius I. ad pœnitentiam non esse admittendas mulieres edicit, quæ post castitatis dedicationem Deo factam palam nupserant, *nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit* (*e*): quod argumento est, matrimonium constitisse, alias ad agendam pœnitentiam mariti mortem expectare non oportebat. Et Augustinus graviter eos reprehendit, qui feminarum Deo devotarum nuptias tanquam adulteria traducebant (*f*). Itaque minus perfecta olim fuit lex ecclesiastica, quæ matrimonia Monachorum improbabat, non tamen irrita reddebat. Sed lapsu temporis Monachorum matrimonia, quæ ante nefaria tantum erant, etiam nulla facta sunt: quod primum in Concilio Romano an. CIↃCXXXIX. celebrato statutum post Basilium Pontium Espenius arbitratur (*g*).

Monasteria duplicia adversantur Monachorum castitati.

§. VII. Quo vero Monachi melius servent castitatem, occasiones omnes, unde eorum pudicitiæ periculum imminet, eliminatum ivit Ecclesia. Antiqua sunt duplicia monasteria & in Oriente & in Occidente admissa, in quibus viri & mulieres simul conversabantur, & in uno eodemque choro psallebant. Eorum originem non recte Basilio permulti adscribunt, nam teste Palladio quædam Pachomiana duplicia fuerunt, Nilo tantum flumine divisa (*h*). In tan-

(*a*) Cleric. histor. Eccles. duor. primor. sæcul. proleg. sect. I. cap. 4. & seq.
(*b*) Cap. 6. ext. de Statu Monachor.
(*c*) Conc. Chalced. Can. XVI.
(*d*) L. 5. C. de Episc. & Cleric.
(*e*) Innocent. I epist. ad Victric. Rothomag.
(*f*) August. de bono viduitatis cap. 10.
(*g*) Espen. part. 2. tit. 13. cap. 4.
(*h*) Pallad. hist. Laus. cap. 99.

tanta vitæ monasticæ asperitate duplicia monasteria initio nihil mali videntur habuisse, sed deinceps male semper oluerunt. Unde Gelasius Pontifex gravissime reprehendit Senecam, Pelagianæ factionis Presbyterum, ea inducere molientem (*a*), eademque omnia Justinianus, altero translato, separari jussit, idque *quod justam suspicionem introducant Monachis assidue cum monialibus, aut cum voluerint congrediendi* (*b*). Et Synodus VII. generalis deinceps nulla ratione fieri permittit, & quæ extabant, ita disponit, ut Monachi & moniales mutua nulla habeant commercia (*c*). Verum iterata hæc decreta rem non videntur confecisse, aut saltem morbus recruduit. In regione Compostellana sæculo XI. erant duplicia monasteria (*d*), quin in exordio ordo Præmonstratensis eadem habuit. Inde penitus extincta duplicia monasteria S. Brigitta recentavit, quæ à quibusdam impugnata & accusata, ad Erici Suecorum regis & Episcoporum ejus preces Synodus Basileensis confirmavit.

In claustra Monachorum vetitus mulieribus ingressus.

§. VIII. Porro ad castitatem custodiendam mulierum in claustra Monachorum ingressum Ecclesia semper vetuit, Abbatesque qui id permitterent, ad agendam pœnitentiam in alienis monasteriis inclusit (*e*), aut eos excommunicavit (*f*). Et audiens Gregorius M. quod in quoddam monasterium passim mulieres adscenderent, & Monachi sibi commatres facerent, graviter scripsit ad Valentinum abbatem, eique præcepit, ne deinceps eadem fieri permitteret, gravissimamque comminatur ultionem, si id denuo factum audiret (*g*). Nec tantum in claustra monasterii, sed & in ipsa Monachorum oratoria, etiam orationis causa, mulieres ingredi vetabantur. Quieti & pudicitiæ Monachorum parum convenire visum fuit cum aliis, multo minus cum mulieribus orare. Sæculo decimo Adala nobilis femina & conjux comitis Arnulphi comitantibus Episcopis & Monachorum habita venia ad orandum ante altare S. Bertini pro recuperanda salute in monasterium intravit, *non sine tremore maximo, quoniam hoc illa prima facere præsumserat, quod ante reginarum nulla concupiscere vel audebat*, ut auctor *de miraculis S. Bertini Abbatis Sithivensis* narrat (*h*). Sed inde in maxima Clericorum corruptione sæculo circiter XI. cœperunt Monachi Sacramenta populis administrare, & in suis Ecclesiis conventus publicos habere: exortisque deinceps mendicantibus, quibus, qui in ad-

(*a*) Gelas. epist. VII.
(*b*) L. 44. c. de Episc. & Cleric.
(*c*) Conc. VII. Can. XX.
(*d*) Paschalis. II. ad Didacum Compostellæ Archiepisc. epist. X.
(*e*) Conc. Antissiodorense Can. XXVI.
(*f*) Conc. Turonens. II Can. XV.
(*g*) Gregor. M. lib 3. ep. XL.
(*h*) Ap. Mabillon. in actis Benedict. sæc. III. part. 1.

adjutorium Clericis acceserunt, eorum Ecclesiæ, quin & multæ antiquorum Monachorum omnibus, etiam feminis, patuerunt. Quo ipso parochi plerisque juribus ceciderunt, nec bene quieti & castitati consultum Monachorum.

Monachorum cibus & potus.

§. XI. Jam vero obedientiæ, paupertati & castitati accedunt continuæ carnis macerationes & assiduæ preces, ad quas natura sua adstringit Monachismus, hactenus ut *plangentis officium* Monachi Hieronymo dicantur sustinere (*a*). Et quantum ad corporis macerationes Monachi omnes carnibus abstinebant, olera & legumina comedentes. Et ex piscibus tantum minutis interdum utebantur, eosque pro summis deliciis habebant. *Sit vilis & vespertinus cibus*, inquit Hieronymus (*b*) *olera & legumina. Interdum pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, de quam pretiosis cibis stercus conficiat.* Volatiles tamen minutos fere Monachi comedebant, non vero pullos, phasianos & crassos turtures, ne potius mutasse, quam reliquisse ciborum delicias viderentur. Ea ratione videntur Monachis minuti volatiles permissi, quod ex antiquis multi aves ejus generis ac pisces esse credebant, ex aqua nempe genitas, unde in multis locis etiam tempore quadragesimæ avium usus non erat interdictus (*c*). Porro Monachi non bibebant vinum (*d*), quod contrarium continuæ pœnitentiæ reputabant, primusque ex Monachis S. Benedictus propter cordis duritiem modicum vini usum permisit (*e*). Tantum infirmi & debiles Monachi carnes manducabant, & vinum bibebant (*f*): quin in exedram transferebantur laxiorem, ubi & cibis delicatis & omni auxilio fovebantur. Sane de cœnobitis Ægypti ita Hieronymus testatur: *Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum* (*g*). Sæculo nono multa latina monasteria suum olus & legumen larido condiebant, quod inde facere perrexerunt (*h*). Et hæc quidem omnia secundum regulas & receptos mores, nam tempore lapsæ disciplinæ & carnes & grandes pisces & omnia delicata obsonia Monachis præsto fuerunt. Inter Monachos primus S. Franciscus esum carnis permisit: & exinde avita abstinentia in dies laxata est, adeo ut etiam Benedictini à regula desciverint. Et qui hodie inter Monachos abstinent à carnibus, veluti Camaldulenses, Carthusiani aliique in cibis esurialibus veteres non imitantur.

(*a*) Hieronym. epist. LIII. ad Ripar.
(*b*) Hieronym. epist. XIII. ad Paulinum.
(*c*) Socrat. lib. V. cap. 21.
(*d*) Basil. instit. Monach. Isidor. Pelusiota lib. 1. ep. CCCLXXXV. ad Lysimac.
(*e*) Reg. Benedict. cap. 40.
(*f*) Pallad. epist. 2. ad Lausum.
(*g*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 15.
(*h*) V. Lupum dissert. de S. Leonis noni actis calumnia IV. tom. 4. oper. E. V.

Monachorum jejunia.

§. X. Porro in ipsa cibi vilitate inter Monachos frequentia jejunia esse debent. Inter Monachos Ægyptios continua & æqualia erant jejunia usque ad horam nonam, hoc est tertiam pomeridianam, sabbato tamen, dominica & quinquaginta diebus Pentecostes aliisque diebus exceptis, quando frater aliquis ad eos invisendos veniebat, quod Hieronymus & Cassianus (*a*) tradunt. Ideo vero sabbatis, dominicis & quinquaginta diebus Pentecostes jejunia relaxabant, quod ii omnes apud orientales festi erant dies, nefasque profecto erat in diebus festis, præsertim dominicis, & integra Pentecoste jejunare, vel de geniculis adorare (*b*). Non æqualis autem fuit in jejuniis omnium Monachorum disciplina, nam eorum aliqui jejunia prorogabant, quatuor aut quinque diebus continuis jejunantes, quod tamen Hieronymo & Cassiano minus placebat (*c*), nam abstinentiam ita oportebat moderari, ut vires non deessent, & ne in medio cursu jejunantes corruerent. Sic enim oportebat Monachos jejunare tanquam centum annis in corpore victuros, sic animi motus refrenare, & mundana contemnere tanquam quotidie morituros, quæ erat Macarii celebris illius Ægyptii sententia (*d*). Quin antiquæ regulæ non æqualem omnibus jejunandi imponebant necessitatem, sed prout erant corpore validi aut debiles jejunia poterant intendere aut relaxare. *Concede unicuique*, inquit regula Pachomiana (*e*), *ut comedat & bibat; & pro viribus comedentium eis quoque manda opera, quæ proportione conveniant ac respondeant, & neque jejunare prohibet, nec comedere.* Recentiores omnes Monachi suos etiam habent statos jejuniorum dies, quos passim regulæ designant. Jejuniis accedunt cubile durius, abstinentia à linteis, vestis crassior, flagellationes, pedum nuditas, ceteræque macerationes, quæ longa serie in regulis & constitutionibus monasticis recensentur.

Preces monasticæ.

§. XI. Jejuniis addere Monachos oportet continuas & extraordinarias preces, quo omnia perfectioni respondeant. Monachi Ægyptii bis tantum in die ad precationes conveniebant, hora nempe matutina & vespertina, exceptis sabbato & dominica, quibus eam hora tertia propter communionem convenire consueverant (*f*): sed Mo-

(*a*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 15. Cassian. collat. 2. cap. 25. & collat. 21. cap. 11. & cap. 20.
(*b*) Tertull. de Coron. milit. cap. 3.
(*c*) Hieronym. epist. IV. ad Rusticum, Cassian. Instit. lib. 5. c. 9.
(*d*) Ap. Cassian. Instit. lib. 5 cap. 41.
(*e*) Ap. Pallad. Hist. Lausiac. cap. 38.
(*f*) Cassian. Institut. lib. 3. cap. 2.

Monachi Mesopotamiæ & aliarum orientalium regionum pluries in die simul statis horis precabantur, & præterea suas habebant statas vigilias seu congregationes nocturnas, quas integro libro Cassianus recenset (*a*). Quin nonnulli Monachi constantem & perpetuum sine ulla intermissione sacrorum cursum observarunt, veluti insomnes (*b*), & Lexovienses à Columbano instituti, qui in diversas classes se diviserunt, ut continuis stationibus alii alios exciperent atque sublevarent. Et ne statæ preces admonitionibus & institutis carerent, apud Ægyptios post orationem vespertinam pater sermonem habebat, cujus dicentis laus in fletu erat audientium (*c*). Extra statas & communes preces ne aliquod tempus sine Dei laude abire sinerent, privatim lectioni & orationi incumbebant, quotidie aliquid legentes ex Scripturis, opusque manuum cantando psalmos Davidicos, aut alias Scripturæ partes recitando condiebant (*d*). Ad avertendas quoque superfluas & otiosas confabulationes etiam tempore mensæ sacras adhibuerunt lectiones, quod institutum primum Cappadociæ, inde ad alios Monachos dimanavit (*e*). Nec Monachi occidentales fuerunt in orationibus remissiores. Mendicantes etiam servant canonicas ad precandum horas, quin varias precandi formulas aliaque opera supererogationis induxerunt, quæ utinam ultra modum non extulissent, inde pendere salutem & justitiam prædicantes. Privatæ vero preces etiam ex propriis institutis non adeo apud eos continuæ, quod sacro ministerio & studiis, quibus vacant, interrumpantur. Tanti autem apud Deum efficaciæ preces & bona omnia Monachorum opera habita sunt, ut pium & salutare omnes ducerent, se in eorum recipi communionem. Unde postremis sæculis variæ institutæ confraternitates, quibus & Monachi ipsi se mutuo & laicos etiam in fraternitatem & communionem acceperunt: eoque etiam tertius ordo S. Francisci, & ordo de pœnitentia S. Dominici spectant, quibus tertiarii ad bona opera & instituta Franciscanorum & Dominicanorum, quoad fieri potest, obligantur, & in partem bonorum operum totius ordinis veniunt.

CA-

(*a*) De Instit. renunciant. lib. 2.
(*b*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 7. cap. 2. §. 10.
(*c*) Hieronym. epist. XXII. ad Eusthoc. cap. 15.
(*d*) Pallad. Hist. Lausiac. cap. 39. Confer. Bingh. loco cit. c. 3. §. 17.
(*e*) Cassian. Institut. lib. 4. cap. 17.

CAPUT XL.

De clericatu Monachorum.

Instituta Clericorum & Monachorum diversa.

§. I. Vita clericalis & Monachorum instituta origine & natura sua tendunt ad diversa. Sane vita clericalis ad aliorum salutem procurandam unice intendit: & hinc Clerici quamvis à mundi strepitu alieni in frequentia civitatis vivere debent. Contra vita monastica unice in contemplatione & pœnitentia consistit & tantum de propria salute sollicita, aliorum non curat, nisi quatenus orationibus suis Monachi apud Deum pro aliis intercedunt. Unde vita monastica à frequentia civitatum abhorret, & tantum quiete & solitudine delectatur. Sæpe veteres hanc utriusque vitæ differentiam inculcant. Patres Chalcedonenses jubent, Monachos quietem amplecti, & soli jejunio & orationi vacare, in quibus positi sunt monasteriis perseverantes, nec ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerere, nisi quandoque à civitatis Episcopo permittatur (*a*). In primis vero Hieronymus clericalis & monachalis instituti diversitatem aperit. *Monachus*, ita scribit ad Riparium (*b*), *non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum.* Et ad Paulinum inculcat (*c*), ut si clericali vitæ studeret, sedem sibi figeret in urbibus; at si monasticum meditaretur institutum, in solitudinem secederet: *Si officium vis exercere Presbyteri, vel episcopatus te vel opus, vel honos forte delectat vive in urbibus & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

Monachi origine sua meri fuerunt laici.

§. II. Instituto igitur & origine sua Monachi non Clerici erant, sed meri laici, proprio vivendi genere tantum à reliquis christianis distincti. Et vero (I) antiqui Canones Monachos publicæ subjiciunt pœnitentiæ (*d*), quam laici non Clerici subibant: & (II) ubi pro eodem delicto diversa pœna Clericis & Monachis imponitur, Monachi excommunicantur, Clerici vero deponuntur (*e*): quod disserte probat, Monachos inter laicos fuisse. Nec minus

(III)

(*a*) Conc. Chalced. Can. IV.
(*b*) Hieronym. epist. LIII. ap. Grat. Can. IV. c. 16. q. 1.
(*c*) Epist. XIII. ad Paulin.
(*d*) Leo M. epist. ad Rusticum Narbonens. cap. 12. Confer. Morinus de administr. pœnit. lib. 6. cap. 13.
(*e*) Conc. Chalced. Can. II. & VIII., Conc. Trull. Can. LXXXII.

(III) inde constat, Monachos fuisse laicos, quod quando in sortem Domini vocabantur, eos per omnes Ecclesiæ ordines ire oportebat (*a*). Num iterato eosdem ordines accipiebant? Porro (IV): Hieronymus aperte inter Monachos & Clericos distinguit, Monachorumque sortem à laicis non facit diversam. *Alia est*, inquit (*b*), *causa Monachorum, alia Clericorum: Clerici pascunt oves, ego* (utpote Monachus) *pascor: illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.* Erat quidem Hieronymus Monachus simul & Presbyter; at vero quoniam invitus fuerat ordinatus, ipso tempore ordinationis firmiter decrevit manere in monachatu, nec Presbyteri munus unquam exercere: unde constat, cur se inter Monachos recenseat, & ab instituto suo Ecclesiæ præsidentiam faciat alienam. Quod si quandoque apud antiquos Monachi à laicis distinguantur, id ea ratione factum est, quod vitæ genus diversum ab aliis profitebantur, non quia in sortem Domini erant cooptati. Et hoc sensu Leo M. Monachos media inter Clericos & laicos conditione proponit quasi essent laicis perfectiores, Clericis vero clericatu inferiores. *Illud quoque*, inquit (*c*), *dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vindicare, sive sit ille Monachus, sive laicus.*

Monachi in monasteriis Clerici creantur.

§. III. Verum enimvero quæcunque fuerit clericalis & monachalis vitæ diversitas, fere inde usque ab initio monachatus præter regulam cœperunt Monachi augeri clericatu, idque ad sacra in usum Monachorum celebranda. Cœpit hæc disciplina pro monasteriis in desertis constitutis, unde facile non erat, Monachos egredi, & ad Ecclesiam parœcialem sacrorum causa convenire. Et certe monasteria Scythi sive Scythiæ in Ægypti desertis Monachos habebant Presbyteros: etenim de eorum congregationibus tradit Cassianus, unam duos Presbyteros Monachos Pafnutium & Danielem, & tres alias Presbyteros quoque suos ipsis præsidentes, & divina misteria celebrantes, habuisse (*d*). Inde vero ut primum in oppidis monasteria fuerunt ædificata etiam Presbyteros domesticos receperunt: equidem Eutyches hæreticus monasterii sui Constantinopoli Presbyter erat & archimandrita (*e*). Non tamen uniformis fuit hæc omnium monasteriorum disciplina, nam Pachomiana etiam in desertis constituta nullum habebant Presbyterum, sed è proximis vicis ad sacra facienda Presbyteros evocabant (*f*), qui sacris impletis ad Ecclesias revertebantur suas; & in Monasteriis in locis habitatis vel non longe positis fere sacra mysteria non fiebant, sed Monachi cum Abbate ad Ecclesias se conferebant parochiales, ubi cum reliquo populo, loco licet honestiori, sacros celebrabant conventus, quibus finitis ad sua præsepia revertebantur (*a*). Varia hæc diu stetit disciplina etiam post Concilium Chalcedonense, cujus decreto inter titulos sacræ ordinationis relata quidem fuerunt monasteria (*b*), ac ita Monachi & fere externi Clerici ad titulum monasterii promoti stabiles evaserunt; non tamen omnia monasteria ex proprio sinu Presbyteris fuerunt donata. Etenim ipsa Justiniani ætate adhuc erant monasteria, quorum Monachi cum reliquo populo ad sacra parœcialia conveniebant (*c*). Sed tandem in omnibus monasteriis Monachorum aliqui clericatu aucti sunt, quam disciplinam in Occidenti S. Benedictus promovit (*d*), & Clerici externi Monachis eorumque bonis graves fecerunt necessariam (*e*).

(*a*) Gelasius Papa epist. IX. ad Episcop. Lucaniæ cap. 2.
(*b*) Hieronym. epist. I. ad Heliodor. ap. Grat. Can. VI. c. 16. q. 1.
(*c*) Leo M. ep. LX. ad Maxim. Antioch.
(*d*) Cassian. collat. III. cap. 1., & collat. X. cap. 2.
(*e*) Liberat. breviar. cap. 11.
(*f*) Thomass. part. 1. lib. 3. cap. 14. n. 5.

Sed exiguo numero, & eorum sacra privata.

§. IV. Interim in dando Monachis in monasteriis clericatu tali œconomia Ecclesia processit, ut inde ecclesiastica disciplina fere nullam subierit mutationem, idque duplici ratione, quod parce admodum Monachi in Domini sortem vocabantur, & quod eorum sacra privata potius, quam publica fuerunt. Et quidem ex ingenti Monachorum numero pauci sacris ordinibus donati sunt, quot nempe sacro ministerio explicando sufficiebant, & reliqui omnes in statu laicorum perseverabant. In una numerosissima Monachorum congregatione una Missa & sine apparatu in Ecclesiis consueto celebrabatur, ad quam unus Presbyter cum exiguo Clericorum apparatu satis erat. Quatuor Monachorum congregationes, quæ erant in Scythi desertis, unum singulæ videntur habuisse Presbyterum (*f*): & licet ea, cui præerat Pafnutius, duos haberet, id tamen propterea factum est, quod Pafnutius sibi vivus Danielem elegerit successorem (*g*). Major Clericorum numerus, quem sæculo sexto habere poterant orientalia monasteria, quatuor aut quinque non excedebat (*h*). Nec ab orientalibus institutis desciverant Monachi occidentales, quorum monasteria exiguo donata erant Clericorum apparatu. Regula enim Benedictina tum demum permittit Abbati Monachum presbyteratu vel diaconatu initiandum Episcopo offerre, quum exigeret sacrorum in monasterio celebrandorum ne-

(*a*) Athanas. Apolog. pro fuga sua, Pallad. Hist. Laus. cap. 52., Morin. oper. cit. lib. 2. cap. 17. n. 12.
(*b*) Conc. Chalced. Can. VI.
(*c*) Novell. CXXXIII. cap. 2.
(*d*) Reg. Bened. cap. 66.
(*e*) Gregor. M. lib. 6. ep. XLIX.
(*f*) Cassian. collat. III. cap. 1., & collat. X. cap. 2.
(*g*) Cassian. collat. IV. cap. 1.
(*h*) Novell. CXXXIII. cap. 2.

necessitas. Quicunque vero esset numerus Monachorum, qui clericatu erant initiati, certe in monasteriis sacrorum celebratio privata erat, & ita cæteris omnibus exclusis, Monachos tantum admittebat. Fidelis populus ad Ecclesiam paroecialem, quæ eum in Christo genuerat, debebat convenire. Et publicæ Missæ in monasteriis servorum Dei quietem turbare videbantur (*a*), & facile poterant Monachi, ad quos litteræ formatæ non dirigebantur, impiorum se polluere communione, si ad sacra in monasteriis celebrari solita reliquos fideles admitterent, quod Morinus observat (*b*). Unde in monasteriis, quæ locis habitatis erant propiora, tempore celebrationis Missarum portæ claudebantur, & Monachi, nisi gravissima urgente necessitate, Sacramenta populo non administrarunt.

Monachorum oratoria, *non* Ecclesiæ.

§. V. Quæ cum ita sint, stata loca in monasteriis ad sacra facienda deputata non Ecclesiæ propria sic dictæ fuerunt, sed privata oratoria, quæ *capellæ* dicebantur, cujusmodi fere etiam erant tempore Gregorii IX., quod titulus decretalium *de capellis Monachorum* demonstrat. Generatim in antiquis monumentis Ecclesiæ *oratoria*, quod essent loca ad orandum destinata, dicuntur (*c*); at sæpe *oratoria* in stricta significatione accipiuntur, denotantque privata sacella in familiarum privatum usum constituta. Et hoc sensu privata erant Monachorum oratoria, quasi quæ usui tantum Monachorum inservirent. Id tamen præ cæteris privatis sacellis videntur habuisse Monachorum oratoria, quod in istis etiam in præcipuis festivitatibus Missæ celebrarentur, ne Monachis egrediendi foras necessitas immineret, in illis vero recurrentibus præcipuis anni festis Missæ erant interdictæ (*d*), & privatæ familiæ una cum reliquo populo ad Ecclesiam paroecialem conveniebant. Itaque per plura sæcula capellæ Monachorum in ipso claustro erant structæ, eaque fere amplitudine & simplicitate fuerunt, ut tantum Monachos caperent, & eorum humilitati convenirent.

Monachi in monasteriis magno numero Sacerdotes.

§. VI. Verum lapsu temporis disciplina, quæ tam angustis limitibus Monachis in monasteriis dabat clericatum, mutata est, sensimque eo deventum, ut Monachi pro maxima parte augerentur sacerdotio, & in suis Ecclesiis publicas Missas haberent, & Sacramenta administrarent. Sæculo circiter XI. & deinceps in magna Clericorum corruptione Cluniacenses & Cistercienses, quorum tum creverat fama sanctitatis, magno numero cœperunt clericatu initiari, quod Clerici vices in prædicando & administrandis Sacramentis supplerent. Minus absurdum tum videri poterat, Monachos magno numero in Domini sortem cooptari, quando Clerici sub nomine Canonicorum monachatum aliquatenus admiserant. Inde mendicantes à sua pene institutione pro maxima parte ad sacerdotium promoti sunt. Quum enim ad salutem animarum procurandam Parochis accesserint adjutorio, ipsa institutio eos ad clericatum evocavit, præsertim quando inter media vivendi eleemosynas ex Missarum celebratione retulerint. Sed tandem sæculo XIV. Clemens V. rem omnem perfecit; privatis Missis tum multiplicatis ad divini cultus ampliationem edixit, ut *Monachi quilibet ad monitionem Abbatis* sacris ordinibus initiarentur (*a*). Quæ constituta sententia generalis, Monachos præsertim spectavit abbatiales, qui divitiis aucti officia clericatus respuebant, quod locum non habebat in mendicantibus. Sacris ordinibus & divinorum officiorum celebratione adversus otium, quod, jampridem manuali opere abjecto, occupabat monasteria, Monachos munire videtur Pontifex voluisse, quod Christianus Lupus observat (*b*).

Monachi mysteriorum Dei dispensatores.

§. VII. Inter regulares sacerdotium propagatum sacris Canonibus spiritu Dei conditis hactenus statutam & receptam disciplinam fere omnem immutavit. Inde Episcoporum & Parochorum iminuta jura, & Monachi in mysteriorum Dei dispensatores abierunt. Post sæculum sextum pauca extant exempla sacrorum, quæ Monachi in usum populi in monasteriis celebrarunt: at sæculo undecimo & deinceps à munere pastorali fere cessantibus Clericis, Cluniacenses & Cistercienses passim Sacramenta administrarunt, & prædicationes ad populum habuerunt, cujus rei illustre exemplum B. Bernardus suppeditat. Totus ad hanc disciplinam adstruendam fuit Gratianus, qui in rhapsodiam suam sub nomine Ambrosii, Innocentii Papæ, Gregorii M. & Bonifacii IV. Papæ multa retulit fragmenta (*c*), quibus probaret cum monachatu non pugnare mysteriorum Dei publicam administrationem (*d*). Sed fragmenta ista sunt supposititia, adeo manifeste venerandam non sapiunt antiquitatem, quæ Monachos in suis capellis Sacramenta populis administrare non permittebat. Interim passim recepto Gratiani decreto in administratione Sacramentorum Monachi confirmati sunt: quam novam disciplinam inde magis promoverunt mendicantes, qui ad Sacramenta administranda & prædicationes habendas prosilierunt, quod

(*a*) Gregor. M. lib. 4. ep. XLIII.
(*b*) Morin. de administ. pœnit. lib. 2. cap. 17. §. 12.
(*c*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 8. cap. 1. §. 4.
(*d*) Conc. Agath. Can. XI.

(*a*) Clement. I. §. 8. de Statu Monach.
(*b*) Can. XXI. & seqq. c. 16. q. 1.
(*c*) Gratian. ad Calc. Can. XXV. loc. cit.
(*d*) V. Espen. Comment. in Grat. caus. 16.

quod Clericis accessissent adjutorio. Unde fere omnium Monachorum & regularium apertæ Ecclesiæ, Missæ publicæ in iis celebratæ, administrata à Monachis Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, excepta paschali communione, frequentes à Monachis institutæ prædicationes, quibus etiam fideles ad se trahebant, novæ orandi formulæ procusæ, & privatorum conscientiæ à regularibus passim directæ, hactenus ut nullus salvari crederet, nisi mendicantium consiliis regeretur. Ipsa etiam Monachorum oratoria in amplissimas abierunt Ecclesias, & rejecto *capellarum* nomine *Ecclesiæ conventuales* dictæ sunt. In tanta vero jurium confusione adhuc tamen manent Ecclesiæ parochiales à conventualibus distinctæ, quod Monachi non habent peculiarem sibi addictum populum, sed apud eos collectitius conventus instituitur ea tamen frequentia, ut longe superet conventus parochiales. Nescio enim quo pio animi motu ferantur fideles, ut potius monastica sacra, quam paroecialia frequentent.

Ratione sacrorum lites inter Clericos & Monachos.

§. VIII. Interim hæc per Monachos, & præsertim per mendicantes sacrorum in populis administratio illud habebat incommodi, quod adscititii isti pastores ab Episcopis & Parochis non penderent, & ita qui accesserant adjutorio, in primarios abierant pastores. Sæculis undecimo & sequentibus functiones sacras obibant quidem Cluniacenses & Cistercienses : at ab Episcopis in omnibus pendebant, quod ex Concilio Pataviensi constat (*a*). At inde mendicantes pontificia auctoritate per universum Occidentem cœperunt confessiones audire, prædicationes habere & reliqua sacra celebrare. Primus Gregorius IX. mendicantes pontificia ad confessiones audiendas instruxit auctoritate, quod *inauditum privilegium hoc etiam ipsis temporibus novum* Matthæus Parisiensis appellavit (*b*), & inde sequentes Pontifices pro prædicationibus & reliquis sacris consimilia concesserunt privilegia, quæ ab una Monachorum domo ad omnes, & ab uno ordine ad reliquos extensa sunt. Celeberrimum est horum privilegiorum promtuarium bulla Sixti IV. an. CIↃCCCCLXXIV. fratribus minoribus, unde ipse exortus erat, data, quam *mare magnum* dicunt, inde à Leone X. ad omnes mendicantes producta. Itaque commoti fere omnes Episcopi & Parochi, sexcentæ passim lites excitatæ, factique Episcopi & mendicantes potius de propriis juribus & privilegiis, quam de animarum cura solliciti. Ad exortas lites præcidendas plures Pontifices, in primis Bonifacius VIII. (*c*), Clemens V. (*d*), Sixtus IV. (*e*) aliique varias ediderunt constitutiones, quibus tamen auxerunt potius, quam præciderunt lites, adeo nempe aperte faverunt mendicantibus, ut mittam quod Benedictus XI. & Alexander V. ex ordinibus mendicantium ad Petri sedem assumpti mendicantes in suis privilegiis confirmarunt (*a*). Ex hac mendicantium à Pontificibus missione turbata ecclesiastica hierarchia & nervus pœnitentiæ relaxatus. Inde etiam emanarunt mores, ut parochiani Parochis non confiterentur, benignius enim præ Parochis mendicantes excipiebant pœnitentes, & inde etiam parum frequentatæ Ecclesiæ parochiales. Abusus usque ad comitia Tridentina in statu suo perseverarunt, ubi plures Episcopi, in primis Brachius Martellus, in mendicantium privilegia indoluerunt, eaque omnia abolita magno rationum pondere contendebant. Synodus autem decrevit, regulares nec confessiones fidelium audire, nec in suis Ecclesiis posse prædicare, nisi ex Episcoporum auctoritate & approbatione (*b*). Quæ decreta majora emendarunt mala, at non per omnia ecclesiasticam restaurarunt disciplinam, quæ vult, ut propriis pastoribus greges adhæreant.

(*a*) Conc. Pataviense an. 1088. Can. V. & VI.
(*b*) Matth. Parisiens. ad 1246.
(*c*) Extravag. *Super cathedram* de sepult. inter comm.
(*d*) Clement. *Dudum* de sepult.
(*e*) Extravag. *Vices* de tregua & pace inter comm.

Monachi in Clericos & conversos *distincti.*

§. IX. Jam vero moribus jampridem receptis Monachi alii sunt *Clerici*, alii *Laici*, quos fratres *conversos* dicunt, quam divisionem propagatus inter Monachos clericatus confirmavit. Monachi Clerici ad officia chori & sacrum ministerium sunt addicti : laici vero ad opera manualia destinantur. Similis distinctio etiam est inter moniales, quarum aliæ *choristæ*, aliæ *conversæ*. Per plura sæcula Monachorum omnium sors æqualis. Omnes ad opus manuum tenebantur, omnesque etiam ad officia chori conveniebant, & canonicas horas recitabant. Et quamvis in antiquis monumentis fratrum *conversorum* mentio occurrat, eo tamen nomine veniebant, qui ætate matura sponte sua eligebant monachatum, idque ad differentiam oblatorum, quos *nutritos* appellabant (*c*). Monachi vallis Umbrosæ in Tuscia primi sensu hodierno conversos adscivisse videntur, quos inde Carthusiani & Cistertienses secuti sunt. Originem distinctionis à vulgari linguæ latinæ usu desueto Fleuryus repetit (*d*). Quum enim divina officia latina lingua celebrarentur, nec omnes Monachi latine scirent, factum est, ut plures Monachi ad horas canonicas non sufficerent, quibus ad opera manualia ablegatis, tantum latine scientes chorum retinuerunt. Accessit etiam quod multi ad præstanda certa servitia se obtulerunt monasteriis, ea solum gloria contenti, quod Dei servis ministrarent, qui res monasterii curantes liberiores Monachos in contemplatione fecerunt. Et ita inter Mo-

(*a*) Extravag. *Inter cunctas* de Privileg. inter comm Bulla *Regnans in excelsis.*
(*b*) Trident. sess. XXIII. de Reform. cap. 15. & sess. XXIV. de Reform. cap. 4.
(*c*) Cangius V. *Conversi.*
(*d*) Fleury Hist. ecclesiast. lib. 36. n. 58.

Monachos choristas desiit labor manualis. Interim ratione status & privilegiorum omnes Monachi Clerici censentur : quin durante probatione etiam novitii monasticis fruuntur privilegiis (*a*).

Pontificalia insignia Abbatibus communicata.

§. X. Verum enimvero simplici sacerdotio Abbates non contenti, ad pontificalem adspirarunt dignitatem, quam reipsa privilegiis Pontificum obtinuerunt. Vile Abbatibus visum dignitate & ornamentis Episcopis cedere, quando opibus non cedebant, & ab eorum jurisdictione exempti, soli Pontifici Romano parebant. Ergo sæculis decimo & sequentibus ambire & privilegiis Pontificum obtinere pontificalia cœperunt ornamenta, nempe mitram, baculum, chirothecas, dalmaticam, sandalia, & si quæ sunt hujus generis alia. Tanta autem ambitione ad insignia pontificalia Abbates ferebantur, ut ingenti auri pondere ea plures redimerent, quod B. Bernardus deplorat (*b*). Interim certissimum est, pontificalia ornamenta à Monachis esse aliena, & ambitionem & arrogantiam sapere. Et vero nil magis alienum à solitudine & subjectione, quam Monachi secundum Canones Episcopi debent, quam in externo apparatu Episcopos imitari. *Sane*, de ornamentis, quæ pretio Abbates redimebant, inquit B. Bernardus (*c*), *si attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret professio ; si ministerium, solis liquet congruere Pontificibus ; profecto esse desiderant, quod videri gestiunt, meritoque nequeunt esse subjecti, quibus jam ipso se comparant desiderio.* Et Petrus Blesensis : *De benedictione gaudeo, sed insignia episcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto : mitra enim & annulus atque sandalia in alio, quam in Episcopo quædam superba elatio est, & præsumptuosæ ostentatio libertatis* (*d*). Unde multi Abbates spiritu monachatus ducti pontificalem habitum respuerunt, præsertim initio sæculi XIII. Abbates Præmonstratenses, quos Innocentius III. laudavit, inculcavitque ut Ecclesiæ laxioris ordinis modestiam Præmonstratensium imitarentur (*e*). Sed lapsu temporis humilitatis suæ Abbates fere omnes obliti vestes pontificales receperunt, quod sæculo XV. & sequenti præsertim factum est. In tanta Abbatum ambitione laudandi tamen sunt mendicantes, qui pontificalia ornamenta respuerunt. Non tamen omnes Abbates in usu vestium pontificalium sunt æquales, sed iis utuntur, prout privilegiis continetur.

Jura pontificalia Abbatibus data.

§. XI. Pontificalem in habitu apparatum pontificalia jura consecuta sunt. Vanitatem forsan sapere videbantur Abbatibus ornamenta pontificalia juribus episcopalibus omnino destituta. Et ita episcopalia quædam jura, quæ ab ordine episcopali non dimanant, variis Pontificum privilegiis Abbates impetrarunt. Quin eorum aliqui in prælatos cum ordinaria & quasi episcopali in clerum & populum jurisdictione cum territorio separato abierunt, qui proinde veri sunt *ordinarii locorum*, & *Abbates nullius diœcesis* appellantur (*a*). Interim non secus ac in vestibus pontificalibus, ita etiam in juribus episcopalibus tantum possunt Abbates, qui separatum non habent territorium, quantum continent privilegia, nisi posterioribus Canonibus contrarium decretum sit. Quæ enim competunt non ex vi officii, sed ex privilegiis, eatenus competunt, quatenus sonant verba privilegiorum. Et ita non omnes Abbates iisdem juribus fruuntur. Pontificalia autem jura Abbatibus communicata hæc fere sunt. In primis (I) vasa ad usum eucharisticum & altaria consecrant (*b*), & nonnulli etiam sui ordinis Ecclesias. Porro (II) solemniter populo benedicunt, quam potestatem tantum in Ecclesiis, quas Monachi *pleno jure* possident, possunt exercere, alibi vero ex speciali privilegio (*c*), nisi Episcopus præsens sit, nam Episcopo præsente Abbas omnino non benedicit (*d*). Illæ autem Ecclesiæ ad Monachos *pleno jure* pertinent, quas in spiritualibus & temporalibus administrant. In Conciliis (III) quoque post Episcopos sedent, ita tamen ut distincta mitra in consessu utantur, quo signo aliquo diversi ab Episcopis appareant (*e*).

Abbates conferunt ordines minores.

§. XII. Præcipuum (IV) autem inter pontificalia jura Abbatibus concessa reputatur collatio primæ tonsuræ & ordinum minorum, quæ ex præsenti disciplina Abbatibus solemni benedictione consecratis potius ipso jure, quam ex privilegio competit. Et olim quidem Abbatum ignota consecratione quilibet Abbas presbyteratu initiatus in proprio monasterio lectores ordinabat, quod ex Canone Græco XIV. Concilii Nicæni II. satis superque constat. At temporis lapsu invaluit, ut tum demum Abbates primam tonsuram & minores ordines conferre possent, quum præter Presbyteratum solemniter essent in Abbates benedicti. Nempe sæculo XII. inducta jam Abbatum solemni consecratione, Gratianus mox citatum Nicænum Canonem ita interpolatum retulit : *Lectoris autem manus impositionem licentia est Abbati solummodo in proprio monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episco-*

(*a*) Carolus de Grassis de Effect. clericat. in prælud. n. 253.
(*b*) B. Bernad ep XLII ad Archiepisc. Senonens.
(*c*) B. Bernard. loc. cit
(*d*) Petrus Blesensis ep. XC.
(*e*) Innoc. III. lib. 1. ep. CXCVII.

(*a*) V. Fagnan. ad cap. *Cum contingat* ext. de Foro compet.
(*b*) Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 23. q. 2. & 4.
(*c*) Cap. 3. de Privileg. in 6.
(*d*) Tamb. loc. cit. disp. 21. q. 9.
(*e*) Cap. 6. de Privileg. in 6.

copo, secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum (*a*). Verba *secundum morem præficiendorum Abbatum* absunt à Græco textu (*b*), eaque addita sunt convenienter receptæ de Abbatibus consecrandis disciplinæ. Gratiano inde Innocentius III. adhæsit, qui prout apud illum extabat Nicænum Canonem referens, interpolatam firmavit lectionem, quæ una cum Innocentii rescripto transiit in decretales (*c*). Et ita conclusum, de jure tantum Abbates Presbyteros & benedictos posse primam tonsuram conferre, & minores Clericos creare, non consecratos vero expresso indigere privilegio. *In proprio* tantum *monasterio*, hoc est sibi subditos Monachos ex Canone Nicæno Abbates lectoratu initiabant: at inde ad augenda propria jura solliciti, privilegia obtinuerunt, ut eo jure in sibi ordinario jure subditos, & aliqui etiam in omnes uterentur (*d*). Quæ potestatis extensio ecclesiastica turbavit disciplinam. Unde Tridentini Patres antiquos Canones renovantes, statuerunt, ut Abbates sibi tantum subditis regularibus primam tonsuram & minores ordines conferrent (*e*): quod jus adeo stricte accipitur, ut neque ex dimissione proprii superioris possint Abbates alienos subditos sive regulares sive sæculares attondere, & minores Clericos creare (*f*).

Extra monasteria Monachi promoti ad Clericatum.

§. XII. Quamvis autem antiqua Ecclesiæ non patiebatur disciplina, Monachos magno numero in suis monasteriis clericatu initiari; semper tamen & sacris Canonibus & legibus civilibus permissum, immo inculcatum, è Monachis Clericos eligere, qui monasteriis extracti Ecclesiis deservirent. *Monachos quoque*, inquit Siricius Papa (*g*), *quos tamen morum gravitas, ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari & optamus & volumus*. Et lege quadam Arcadii Imperatoris jubetur Episcopis, ut si forte Clericos sibi deesse arbitrentur, eos ex Monachorum numero rectius assumant (*h*). Similiter Justinianus constituit, ut Episcopus vel ex clero, vel ex monasterio ordinetur (*i*). Erant nempe monasteria scholæ pietatis & doctrinæ, ac proinde aptissima Clericorum seminaria. Primus, qui Monachos monasteriis extractos Episcopos & Clericos creavit, M. Athanasius fuisse videtur, qui eos ad muniendam contra Arianos catholicam fidem judicavit aptiores. Et inde in utraque Ecclesia de promovendis ad clericatum Monachis re-

(*a*) Can. I. D. 69.
(*b*) V. Rom. correct. not. in cit Can.
(*c*) Cap. 11. ext. de Ætat. & qualit. ordinand.
(*d*) Cap. 3. ext. de Privileg. in 6.
(*e*) Trid. sess. XXXIII de Ref. cap. 10.
(*f*) Sacra Congreg. ap. Fagnan. ad cap. *Aqua* ext. de Consec. eccles. n. 19.
(*g*) Epist. I. cap. 13.
(*h*) L. 32. Cod. Th. de Episcop.
(*i*) Novell. VI.

recepta disciplina. Certe celebriores antiquitatis Episcopi ex Monachis fuerunt assumpti, quales M. Basilius, Jo. Chrysostomus, Martinus Turonensis aliique. Tanta vero celebritate floruit S. Martini in Gallia monasterium, ut inde certatim Ecclesiæ habere Episcopos desiderarent, quod Sulpitius Severus testatur (*a*). Non tamen omnes indiscriminatim etiam boni Monachi apti ad clericatum censebantur, sed tantum ii, qui vitæ sanctitate & doctrina spiritum solitudinis & rusticitatis emollierant. Notum est illud Augustini (*b*): *Aliquando bonus Monachus, vix bonum Clericum facit, si adsit sufficiens continentia, & desit tamen instructio necessaria, aut personæ regularis integritas*. Interim quodcunque de Monachis ad Ecclesiæ utilitatem Episcopi statuebant, Monachorum erat & vero etiam est, ecclesiasticas dignitates non desiderare, sed tantum injectum onus humiliter suscipere, quod M. Basilius & Augustinus inculcant (*c*). Sententia erat antiquorum Monachorum, *omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos: neuter enim sinit eum, quem semel familiaritati suæ devinxerit* (*d*.) Pro jure suo olim Episcopi sibi deficientes Clericos ex Monachis ordinabant, tantumque nonnulli Canones consensum Abbatis requirunt (*e*). Sed inde jure decretalium vetitum sine Pontificis indulgentia Monachos in canonicos assumi, aut aliis beneficiis non curatis donari (*f*): & ex novissima disciplina ex Gregorio XIII. inducta nec ad regimen parœciarum, nisi auctore Pontifice, possunt admoveri (*g*).

An Monachi assumpti ad clericatum solvantur monachismo?

§. XIII. Promoti autem ad clericatum extra monasterium Monachi solvebantur monachismo, qui cum clericalibus functionibus consistere non poterat. *Nemo potest*, inquit Gregorius M. (*h*), *& ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monastica regula ordinate persistere*. Et male profecto Gratianus (*i*) relata verba de iis accepit, qui ætate sua in Cardinales & Episcopos ordinati monasterii sui sibi reservabant administrationem, quando Pontifex id spectavit unum, non posse Monachos simul monasticis & clericalibus functionibus in Ecclesiis defungi (*k*). Unde ad hierarchicas functiones assumpti Monachi, nullum amplius de monasterio commodum participabant, & bonis ecclesiasticis, non secus ac reliqui Clerici, vivebant.

(*a*) Sulpit. Sever. Vit. S. Martini.
(*b*) Can. XXXVI. c. 16. q. 1.
(*c*) Basil. instit. monast. cap. 9. Can. XXX. c. 16. q. 1.
(*d*) Apud Cassianum de Institut. renunc. lib. 11. cap. 17.
(*e*) Can. XXXIV. c. 16. q. 1.
(*f*) Cap. 9. ext. de Regul. Confer. Fagnan. ad cap. *Quod Dei timorem* ext. de Statu Monachor. n. 18.
(*g*) Fagnan. loc. cit. n. 16.
(*h*) Can. II. c. 16 q. 1.
(*i*) Ad Can. XXXV. loc. cit.
(*k*) Confer. notas ad lib. 3. ep. II. Greg. M.

bant. Interim tamen ne primitus facta professio prorsus irrita fieret, ad Ecclesiæ ministerium Monachi promoti officia omnia monastica, quæ cum clericatu non pugnant servare debebant. Sane edixit M. Athanasius, ut Monachi ad clericatum evecti à *priore proposito* non recedant, quem Canonem Innocentius I. laudat (*a*). Unde olim Monachi in clericatu vino & carnibus abstinuerunt (*b*): & Justinianus non permittit, ut Monachus lector creatus nuptias contrahat (*c*), quas tamen cæteri lectores contrahebant. Ipsam quoque vestem angelicam Orientales Monachi in episcopatu retinuerunt (*d*). Atque ex hujusmodi vivendi ratione Græci Clericos ex Monachis ad ministerium Ecclesiarum assumptos ἱερομόναχους appellant: quo eodem nomine etiam donant Monachos in ipsis monasteriis auctos clericatu. Sed in Occidente initio minus placuerunt Episcopi monasticis induti vestibus, ac ita in clericatu Monachi vestes induerunt clericales: quæ disciplina octavo sæculo stabat (*e*). Inde mutati sunt mores, & ad ministerium Ecclesiarum promoti Monachi vestes monasticas retinuerunt. Pessimis Clericorum moribus sæculis decimo & sequenti offensi Monachi etiam ad clericatum adsumpti videntur voluisse retinere monachatum, ne malos Clericorum mores induisse viderentur. Et hinc cavit sub Alexandro III. Concilium Lateranense (*f*), ne Monachi *singuli per villas & oppida per quascunque parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent.* Et Innocentius III. in Concilio generali statuit, ut Pontifices ex Monachis assumpti habitum ferrent monachalem, cui eidem decreto subjecti fuerunt mendicantes. Tandem vero generalem Clemens VIII. edidit constitutionem, ut omnes Monachi & fratres ad episcopatum evecti sui ordinis habitum gestent, aut certe colorem.

Clerici assumunt monastica instituta.

§. XIV. Et hactenus de Monachis, qui monachismo addiderunt clericatum, dicendum nunc de Clericis, qui instituta Monachorum superinduerunt, quatenus tamen functiones patiebantur clericales. Scilicet si excipias solitudinem & rigidam claustri disciplinam, monasticæ vitæ sanctimonia clericali instituto non repugnat: quin potius efficit, ut Clerici moratius vivant, & in urbe existentes, usu urbis quodammodo careant. In Occidente Eusebius Vercellensis primus fuit, qui Clericis suis monachatum injecit, una clericalia & monastica conjungens instituta. *Hæc primus*, inquit Ambrosius

(*a*) Innoc. ep. ad Victric. Rothomag. cap. 10.
(*b*) V Lupum diss. de S. Leonis IX. actis calumn. 4. tom. 4. oper. edit. Venetæ.
(*c*) Novell. V. cap. 8.
(*d*) Conc. VIII. Can. XXVII.
(*e*) Zachar. Papa ep. IX. cap. 1.
(*f*) Cap. II. ext. de Statu Monachor.

sius (*a*), *in occidentalibus partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Etiam Augustinus similem vivendi rationem inter Clericos Hipponenses introduxit: sub ipso enim Clerici nihil proprii habebant, una domo & una mensa sumtibusque communibus alebantur, & vestiebantur; non tamen integras admiserant monasticas asperitates, quemadmodum Clerici Vercellenses (*b*). Sequentia sæcula plura monasteria Clericorum exhibent, in quibus strictius aut laxius viguerunt Monachorum instituta: quo spectant Clerici ab Augustino Monacho in Anglia instituti, Canonici sub Chrodogango, & inde Canonici regulares, qui omnem ejurarunt proprietatem. Interim in cœnobiis degentes Clerici instituta monastica eatenus profitebantur, quatenus ministeria ecclesiastica permittebant. Unde rigida claustri non tenebantur disciplina, nec manuali labore, quemadmodum Monachi, erant occupati. Paucis. Docentis & plangentis, quatenus stare poterant, officia conjungebant.

CAPUT XLI.

De statu Monachorum.

Notio status Monachorum.

§. I. Nomine *status Monachorum* intelligimus universum regiminis monastici complexum, quo singulæ familiæ cohærent, subsistunt & gubernantur. Ita sonat *status Monachorum* in titulo Decretalium *de statu Monachorum & Canonicorum regularium* (*c*). Etiam in jure civili *status rei Romanæ* universam regiminis politici denotat compagem. Cœpit status Monachorum ab eo tempore, quo in societatem coaluerunt. Etenim vita communis sic est comparata, ut sine certo regimine non subsistat. Est autem status Monachorum internus, vel externus. Internus intra sodalitia monastica sese exserit, spectatque internam monasteriorum gubernationem & compagem, qua singulæ familiæ inter se cohærent. Externus vero sese exserit extra monasteria, spectatque Episcoporum & Principum in Monachos potestatem. Itaque jura, quibus status monasticus coalescit & regitur, veluti jus publicum Monachorum constituunt. In utraque parte status monachalis nova à veteri distat disciplina: quin multa & varia sunt singulorum ordinum instituta. Potiora ergo seligemus, quæ potius ipsam status monastici compagem, quam singulorum ordinum mores repræsentent; exacta enim regimi-

(*a*) Epist. LXXXII.
(*b*) Thomas. part. 1. lib. 3. cap. 3. & seq.
(*c*) Boehmer. I. E. lib. 3. tit. 35.

minis monastici explicatio longioris esset operis, ultra institutionum fines excurrentis.

Abbates *præsunt monasteriis.*

§. II. Jam singula monasteria proprium habent superiorem, qui Monachos regit, & monasticæ disciplinæ & temporalium ad monasterium spectantium curam & sollicitudinem habet. Monasteriis præpositos antiqui apto vocabulo appellarunt *Abbates*, patres nempe Monachorum, ut in ipso nomine intelligerent, regimen monasticum charitatis potius esse, quam potestatis. Et sane in Monachorum regimine sic Abbas procedere debet, *ut miscens terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum*, ut habet regula Benedictina (*a*). Sæpe etiam apud antiquos monasteriorum superiores audiunt *majores*, *priores*, *prælati*, *præsules*, quæ omnia vocabula præsidentiam inter Monachos denotant. Propter eandem rationem monialibus præfectas dixerunt *Abbatissas*, quasi matres spirituales. Sed plerique Monachorum ordines post sæculum decimum, & præsertim mendicantes, *abbatis*, *præsulis*, *prælati & abbatissæ* nominibus abstinuerunt, appellantque cujusque monasterii præpositos *priores*, *custodes* seu *guardianos*, *rectores*, *correctores*. Apud Benedictinos ab antiqua humilitate desciverant Abbates, & non exiguam non minus in Ecclesia, quam in republica propter pontificalia & feuda dignitatem obtinebant. Et ita *Abbatis* nomen natura sua modestissimum, non amplius monasticam sapiebat humilitatem. Unde sanctissimi novorum ordinum fundatores Abbatis nomen, veluti parum humilitati monasticæ conveniens, respuerunt, & humilibus titulis rei monasticæ moderatores voluerunt appellatos (*b*).

Præpositus & Diaconi *eorumque officia.*

§. III. Præter abbatem seu rectorem habent singula monasteria alios officiales, qui sub principe rectore disciplinæ monasticæ præsunt, vel temporalia procurant. In tanta Monachorum multitudine & temporalium copia vix unus superior regimini monastico sufficiebat, & ita ei varii dati fuerunt administri. Ut ecce *præpositus* sive *prior*, specialibus vocibus nuncupatus, post Abbatem in monasteriis disciplinæ monasticæ præest. Quum vero multa sint monasteria, in quibus princeps superior non *abbas*, sed *prior* vocatur, in iis inter *priorem conventualem*, & *priorem claustralem* distinctum est, quorum illi totius rei summa incumbit, hic vero sub eo claustri curam habet, & idem ipse est, quem alia monasteria per Abbates administrata *ἁπλῶς priorem* appellant. Sed usu hodierno fere *superior* vel *vicarius* dicitur, qui præest sub priore conventuali, *prior* ve-

(*a*) Reg Bened. cap. 2.
(*b*) Espen. part. 1. tit. 31. cap. 1.

vero *claustralis*, qui agit sub Abbate regulari. Minus placuerunt S. Benedicto præpositi, qui adversus Abbates ferociebant in iis præsertim locis, ubi ab eodem Episcopo vel Abbate præpositi & Abbates creabantur. Unde voluit, ut à creando præposito Abbas supersederet, & per *decanos* ejus loco substitutos Monachos regeret: & si omnino necesse esset ordinari præpositum, cum piissimorum fratrum concilio eum sibi constituat (*a*). Erant *decani* decem Monachi præpositi, & ita si magna esset congregatio per plures decanos regebatur. Usus decanorum ab orientalibus profluxit monasteriis, ubi decani suas regebant decanias, statis dierum laboribus invigilabant, & pensum, quod cuique datum erat, exigebant. Interim nihil obstante S. Benedicti consilio, in pluribus monasteriis perseverarunt præpositi, ubi sub Abbate claustri rexerunt disciplinam, eisque tantum mortuo, absente vel remoto priore conventuali universa competit monasterii jurisdictio (*b*).

Œconomus *ejusque officium.*

§. IV. Porro in plerisque monasteriis est *œconomus*, seu *cellerarius*, ut appellat regula Benedictina, qui etiam sub Abbate temporalia monasterii procurat. Unde in multis orientalibus monasteriis œconomus præerat decanis, à quibus exactos Monachorum labores recipiebat, in usum societatis erogaturus. *Opus Dei statum est*, inquit Hieronymus (*c*), *quod decano redditum, fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno tremore reddit rationem.* In aliis vero monasteriis ipsi decani temporalia procurabant, quorum uni Abbati reddebant rationem, quod Augustinus testatur (*d*). Apud Benedictinos summa fuit *cellerarii* potestas: etenim præter curam temporalium, ei infirmorum, infantium, hospitum, pauperum incumbebat sollicitudo, & hinc omni congregationi erat sicut pater. Itaque quæ postea fuerunt sejuncta officia *infirmarii*, *hospitalarii*, *eleemosynarii*, *thesaurarii* uno cellerarii munere initio continebantur. In nonnullis monasteriis tamen etiam præpositi temporalia procurabant. Interim quicumque sit qui temporalia monasterii procurat, eligi debet ex probatissimis Monachis, ne administratio evadat in proprietatem, & ne assidua temporalium tractatione à spiritu monastico deficiat.

Præpositi obedientiarum.

§. V. Præter officiales claustrales, qui sub Abbate sarcinam monasterii sustinent, erant etiam *priores forenses*, & *obedientiarum præpositi.* Scilicet nobiliora cœnobia sub se & à se dependentia habe-

(*a*) Reg. Bened. cap. 65.
(*b*) Tambur. de Jure Abbat. tom. 2. disp. 1. quæst. 4. n. 4.
(*c*) Epist. XX. ad Eustoch. cap. 15.
(*d*) August. de Morib. Eccles. cathol. cap. 31.

bebant minuscula monasteria, quæ in antiquis monumentis passim *prioratus*, *obedientiæ*, *præposituræ*, *cellæ* & *grangiæ* nuncupantur. De origine & natura *cellarum* inter eruditos non convenit. Brouwerus, Haeftenius aliique putant fuisse prædiorum ad principale monasterium pertinentium præfecturas, in quibus residebant pauci Monachi, non ut conductores ipsi essent, sed ut prædiis & rusticis præessent, & quæ pietatis religiosæ erant, curarent, redactosque fructus ad principale monasterium inferrent (*a*). Contra Christianus Lupus opinatur fuisse minuscula monasteria, propriis fundis instructa, ex quibus quæ supererant usui Monachorum, pauperum, hospitum, principali cedebant monasterio. Scilicet fideles, qui plenum cœnobium fundare non poterant, cellas in pagis constituere voluerunt, ut ita apud se haberent pietatis officia à Monachis celebrari solita, quod ut eo rectius fieret, eas monasteriis ob regularem disciplinam famosis adnectebant (*b*). Meam hanc litem minime facio, tantumque obiter moneo, forte utriusque generis cellas extitisse. Interim cellæ auctis fundis sæpe creverunt in abbatias: quin ipsi fundatores hanc conditionem frequenter apposuerunt, *auctis per Dei gratiam proventibus fiat abbatia.* Obedientiis præpositi Monachi *priores forenses* & *obedientiarum præpositi* dicti sunt, quod Monachorum *foris*, hoc est extra monasterium degentium, curam haberent, & quod vi obedientiæ ab Abbate principis monasterii illuc mittebantur. Ne vero monastica disciplina in obedientiis deficeret, passim cautum, ut non soli, sed cum aliquibus Monachis in iis præpositi morentur. *Ne Monachi singuli*, inquit Concilium Lateranense sub Alexandro III. (*c*), *per villas & oppida per quascunque parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut eum aliquibus fratribus maneant.*

Quomodo potestas Abbatum explicatur.

§. VI. Regimen Monachorum in singulis monasteriis tum circa spiritualia, tum temporalia penes solum Abbatem tantum fuit, à quo cæteri pendebant officiales, nec unius monasterii Abbas alteri Abbati subjectus erat. In vita communi, quæ ad perfectionem tendit, eam regiminis formam aptiorem judicarunt Monachorum Patres, qua penes unum summa rerum resideret: quod regulæ monasticæ & Canones passim tradunt (*d*). Quo vero sibi demandatam potestatem melius Abbates explicarent, voluit S. Benedictus, ut in rebus *præcipuis*, idest majoris momenti, omnis congregationis, in levioribus vero *seniorum* consilium expeterent, quo intellecto apud

(*a*) Brouwerus lib. 1. antiq. Fuldens. cap. 6. Haeftenius de Monachor. cellis.
(*b*) Christ. Lupus schol. in Nicolai. II. Conc. Beneventanum, tom. 5. operum editionis Venetæ.
(*c*) Cap. II ext. de Statu Monachor.
(*d*) Reg. Bened. cap. 65. Can. IX. c. 18. quæst. 2.

apud se tractarent & statuerent quid optimum factu videretur (*a*). Quapropter adhibendum consilium potius spectabat ad pernoscendas varias rationes, ut inde Abbas aptiorem seligeret, quam ad quidquam de Abbatis potestate minuendum. Etiam orientales Monachi in rebus gravioribus fratrum adhibebant consilium, rei tamen summa erat penes Abbatem (*b*). *Seniores* autem, quos in tractandis rebus levioribus S. Benedictus adhiberi voluit, senes prudentia non ætate videntur fuisse, ut Cardinalis Turrecremata interpretatur (*c*). Sed ad invidiam declinandam apud quosdam in usu est, seniores professione in consilium adhiberi: & in multis ordinibus loco seniorum *assistentes*, aut *discreti* eliguntur. Verum ex nova disciplina apud omnes fere ordines etiam Benedictinos recepta, regimen monasticum aristocratia quadam temperatum est, qua fit, ut superiores monasteriorum in rebus monasticis expediendis assensum vel assistentium vel *capituli* pro rerum varietate requirere debeant.

Monachorum particularia capitula.

§. VII. Nomine *capituli*, cujus assensum in gravioribus monasterii rebus tractandis adhibere debent monasteriorum superiores, venit Monachorum, qui jure suffragii potiuntur, conventus. Proprie in re monastica *capitulum* erat caput regulæ, quotidie Monachis legi solitum, cujus rei causa in certum monasterii locum conveniebant. Id constat ex libello supplici Monachorum Fuldensium Carolo M. oblato, ubi ajunt: *Mane, quando in unum convenimus, & capitulum de regula cum fratribus legebatur* (*d*). Ab his lectionibus facili translatione & locus ipse conventus, quod *capitula ibi exponerentur*, aut ait Papias (*e*), & vero etiam ipsa congregatio *capitulum* vocari cœperunt. Pertinebant autem ad capitulum Monachi omnes seniores & juniores. Et sane S. Benedictus in expediendis gravioribus negotiis *omnem congregationem* convocari præcepit (*f*). Sed lapsu temporis & apud Monachos & apud moniales fratres laici & sorores conversæ à capitulis exclusi sunt, tantumque Monachi saltem hypodiaconi & moniales choristæ capitulum componere cœperunt. Sane statuit Concilium Viennense, ut nullus in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis sive sæcularibus sive regularibus jure suffragii potiatur in capitulo, nisi saltem hypodiaconatus ordine sit initiatus (*g*): quod jus Tridentini Patres confirmarunt (*h*). Voluerunt

(*a*) Reg. Bened. cap. 3.
(*b*) Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. cap. 14.
(*c*) Tract. XV. in cap. 3. regulæ.
(*d*) Ap. Brouwerum lib. 3. antiq. Fuldens. cap. 12.
(*e*) Ap. Cangium in glossar. v. *capitulum*.
(*f*) Reg. Bened. cap. 3.
(*g*) Clement. *ut ii* de ætat. & qualit. ordinand.
(*h*) Trid. sess. XXII. de Reform. cap. 14.

runt ita Patres Viennenses Canonicos & Monachos abbatiales divitiis auctos ad ordines, unde propter onera abhorrebant; per indirectum adigere. Cæterum Abbas capitulum indicit, refert, nec tamen secundum regulam Benedictinam utitur suffragii prærogativa ut singulis ad dicendam sententiam major sit libertas (*a*).

Pœnæ monasticæ.

§. VIII. Regimen monasticum quamvis in charitate fundatum, tamen jure ad infligendas pœnas fini accommodatas est instructum. Pœnarum metus ad reorum emendationem & aliorum exemplum in omni societate est necessarius. Sunt autem apud Monachos & spirituales & temporales pœnæ. Pœnæ spirituales sunt excommunicationes, quibus Monachi pro varietate culparum communi mensa, vel mensa simul & communibus precibus interdicuntur (*b*). Maxima tamen spiritualis pœna est privatio communium precum etiam post mortem, qua ex antiqua disciplina puniuntur, qui in manifesto peccato decedunt, veluti qui seipsos interficiunt (*c*), & qui peculiati inveniuntur (*d*). Separabant quidem hujusmodi excommunicationes Monachos à mensa & precibus; at potius videntur fuisse salutares emendationes, quam proprie sic dictæ excommunicationes, quæ extra Christi corpus projiciebant. Monachorum Patres, ut plurimum olim laici, jure clavium, unde proprie sic dicta excommunicatio pendet, erant destituti (*e*). Pœnæ corporales sunt jejunia Monachis delinquentibus indicta, à certo cibo & potu abstinentia, & ex nova disciplina etiam carcerum mancipatio. Maxima corporalis pœna, qua olim puniebantur Monachi delinquentes erat flagellatio. *Separabunt eum* (Monachum nempe, qui fratres ad peccandum sollicitat, & simplices animos pervertit) *extra monasterium*, inquit regula Pachomiana (*f*) *& verberabunt eum ante fores triginta novem*, idest triginta novem plagis, qui erat modus flagellandi apud Judæos receptus, unde ad Monachos devenit, ut recte Menardus observat (*g*). Et in monte Nitriæ tres erant palmæ, unde tria flagella pendebant, ad tria hominum genera punienda, Monachos nempe, latrones & hospites delinquentes. Unde qui meruisse convincebantur, unam ex tribus palmis, generi vitæ convenientem amplectebantur, & à tergo præscriptas plagas excipiebant (*h*). Et regula Benedictina sæpe flagellationis injicit mentionem, eamque appellat *vindictam corporalem* & *acriorem correctionem* (*i*). Et apud

(*a*) Confer. Haefrenius lib. 3. tract. 5. disp. 6.
(*b*) Reg. Bened. cap. 25. & 44.
(*c*) Cassian. collat. 2. cap. 5.
(*d*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 14.
(*e*) Espen. part. 1. tit. 31. cap. 3. n. 31.
(*f*) Reg. Pachom. cap. 37.
(*g*) Ad concord. Regul. cap. 30.
(*h*) Pallad. Hist. Laus. cap. 6.
(*i*) Reg. Bened. cap. 23. & 28.

apud S. Isidorum in regula: *Gravior culpa diuturna excommunicatione purgatur, & flagellis emendatur*. Sed ex recentioribus institutis rejecta est flagellatio, ejusque locum carceres, antiquis fere ignoti, subierunt. Monachos à flagellatione tutos ipsis communicatum Sacerdotium videtur effecisse: carceres vero disciplina, quæ ejici incorrigibiles vetat, induxit. Interim Monachorum superiores meminisse debent, se esse Patres, non dominos Monachorum, & pœnas ita moderari, ut decet animarum pastores. *Oderit* (Abbas) *vitia, diligat fratres*, inquit sapientissime S. Benedictus (*a*), *in ipsa coercitione prudenter agat*.

Monasteriorum consociatio.

§. IX. Per novem plus minus sæcula monasteria inter se mutuo adnexa peculiare corpus non composuerunt, sed singula proprios habebant Abbates ab aliis non pendentes. Omnes quidem Monachi unius instituti & religionis censebantur, sed hæc unitas potius à fine & professionis consonantia, quam à subordinatione monasteriorum oriebatur. At sub initium sæculi decimi Cluniacenses in peculiare corpus abierunt ex pluribus monasteriis adunatum, quorum singula eo ipso, quo proprio priori erant commendata, uni Abbati Cluniacensi parebant. Prima hæc stabilis fuit monasteriorum congregatio, nam monasteria, quæ auctore Ludovico Pio sub S. Benedicto Anianensi fuerunt adunata, Benedicto mortuo, ad antiquam redierunt libertatem. Initio sæculi decimi adeo defecerat Monachorum institutum, ut, observante Petro Abbate Cluniacensi, *de Monacho præter tonsuram & habitum nihil* superesset (*b*). Reparaturus ergo perditum monachismum S. Odo reformationis Cluniacensis monasteria sub uno capite consociavit, ut eo melius & firmius res monastica staret. Tanta vero sanctitatis fama tum inclaruit Cluniacensis reformatio, ut ei à Beneventana provincia quæcunque erant in Italia & Gallia potiora accesserint monasteria, ut Glaber Rodulfus testatur (*c*). Et ita nata est congregatio, seu, ut modo loquuntur, ordo Cluniacensis: cujus exemplum inde Camaldulenses, Monachi Vallis Umbrosæ, Cistertienses, mendicantes aliique imitantes etiam in congregationes abierunt. Et Tridentini Patres monasteria omnia exempta, quæ generalibus capitulis non subsunt nec ordinarios habent visitatores, unius anni spatio edixerunt uniri (*d*). Nempe postquam Monachi ab Episcoporum jurisdictione exempti sunt, magis necessaria erat consociatio, ut ita saltem majorum prælatorum auctoritas Abbates locales in officio contineret. Non tamen æqualis apud omnes est monasteriorum consocia-

(*a*) Reg. Bened. cap. 64.
(*b*) Petrus Cluniacensis lib. 4. epist. XVII.
(*c*) Rodulf. lib. 3. Hist. cap. 5.
(*d*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 8.

ciatio: nam multi ordines unam generalem, alii etiam provinciales componunt congregationes.

Superior generalis.

§. X. Institutio ordinum Monachorum novam regiminis formam introduxit. Etenim contra antiqui regiminis formam, qua unum monasterium ab alio non pendebat, institutus est Abbas, sive superior, sive minister generalis, cui totius ordinis incumbit sollicitudo. Cistertiensibus tamen minus placuit Abbas absoluta donatus potestate, & hinc veluti aristocraticam elegerunt regiminis formam, in qua Abbates omnes partem haberent, & unus Abbas alterius visitaret monasterium. In familiis quæ provinciales habent congregationes, institutus est Abbas sive superior provincialis, qui integram administraret provinciam. Et ita independens prius Abbatum potestas evasit obnoxia, & majora cujusque monasterii vel provinciæ negotia auctoritatem provincialis aut generalis requirunt. Non tamen potestas generalis independens & absoluta est; nam generalis suis est instructus senatoribus, qui *diffinitores generales* dicti supremam religionis audientiam constituunt, cujus auctoritate suprema monastica potestas explicatur. Sed apud Jesuitas generalis absoluta præest auctoritate, & ita negotia fere omnia societatis solus moderatur. Etenim quinque, quos habet generalis, *assistentes* suffragio tantum *consultivo* non *decisivo*, ut vocant, fruuntur. Similiter diffinitoribus suis instruitur provincialis, qui ejus componunt audientiam. Generales fere Romæ commorantur, quod exemptio Monachorum à jurisdictione episcopali plane postulabat, ut ita negotia ad rem monasticam pertinentia facilius expedirent.

Capitula generalia

§. XI. Porro monasticorum consociatio nova induxit capitulorum genera, generalia nempe & provincialia, prout capita monasteriorum totius ordinis, aut unius provinciæ conveniunt. Primi inter Monachos generalia Abbatum capitula celebrarunt Cistertienses, quod postulare videbatur quasi aristocraticum, quod prætulerunt, regimen. Etenim primigenia constitutione, quam *chartam charitatis* dicunt, statuerunt, ut singulis annis Abbates omnes non impediti ad generalia comitia apud Cistertium convenirent, in quibus de reformatione ordinis & disciplinæ emendatione tractaretur. Tanta autem celebritate & honore erant Cistertiensium capitula, ut Reges & Episcopi eis superesse salutare & pium ducerent, ut probat Alteserra (*a*). A Cistertiensibus brevi ad alios Monachos & Canonicos regulares capitula generalia transierunt, quamvis regiminis formam aliquatenus diversam haberent. Equidem in Concilio

(*a*) Altes. lib. 6. monastic. cap. 5.

lio generali Innocentius III. statuit (*a*), ut in singulis regnis vel provinciis quolibet triennio ordines quique, etiam Canonicorum regularium, exemplo Cistertiensium & *salvo jure diocesanorum antistitum*, comitia celebrarent, ad quæ omnes Abbates & priores, qui sub Abbate non essent, non impediti convenirent, ita tamen ut *nullus eorum plus quam sex evectiones & octo personas adducat*. Nomine *evectionum* jure Romano veniebant diplomata iis necessaria, qui cursu publico iter faciebant (*b*): at hic numerum denotat equorum, quibus Abbates in itinere uti debebant (*c*). Statim post Concilium Lateranense exorti mendicantes ejus statutis seipsos subjicientes, generalia comitia cœperunt agitare: & inde pluries Pontifices & Concilia idem institutum renovarunt (*d*). Spectabant autem primario capitula generalia ordinis reformationem & disciplinæ emendationem (*e*). Sane in communibus comitiis remedia reformationis melius capiuntur, & disciplina confovetur. Et reipsa in capitulis generalibus conditæ sunt ordinum constitutiones, quæ aliquid regulæ adderent, vel detraherent. Celebrari autem debent capitula hæc generalia singulis trienniis, quod Patres Lateranenses & Tridentini statuerunt, quibus decretis nihil derogatum institutis ordinum, quibus capitula singulis annis jubentur celebrari (*f*). Ea Abbas, sive superior generalis indicit, dirigit, & exequitur statuta, conveniuntque omnes superiores, qui suffragii jure potiuntur.

Monastici visitatores.

§. XII. Consociata quoque monasteria monasticos visitatores induxerunt, qui ad disciplinæ emendationem & decretorum generalium observantiam monasteria circumeunt. Per plura sæcula ignoti ex Monachis visitatores, tantumque quum opus erat, Episcopi suæ diœcesis visitabant monasteria (*g*). Primi monasticos visitatores induxerunt Cistertienses, qui dum se in unum corpus consociarunt id voluerunt, ut Abbates alter alterius inviserent monasterium. Inde in Concilio generali Innocentius III. statuit, ut in comitiis generalibus ordinentur religiosæ & circumspectæ personæ, quæ secundum formam sibi præfixam *vice Sedis apostolicæ* monasteria Monachorum & monialium circumeant, corrigentes, & reformantes, quæ correctione & reformatione indigerent (*h*). Spectavit autem Synodus Lateranensis non tantum exempta, verum etiam non exempta monasteria, æque omnia *vice Sedis apostolicæ* visitari voluit, forsan

(*a*) Cap. 7. ext. de Statu Monach.
(*b*) Confer. Piriscus in lexico antiq. Roman. v. *evectiones*.
(*c*) Gonzalez ad cap. 6. ext. de censib. n. 3.
(*d*) Clement. *ne in agro* §. fin. de Statu Monach., Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 8.
(*e*) Cap. VII. ext. de Statu Monach.
(*f*) S. Congreg. ap. Fagnan. ad cap. *in singulis* ext. de Statu Monach. n. 12.
(*g*) Can. XXIX. c. 18. q. 2. Greg. M. lib. 7. ep. XVIII.
(*h*) Cit. cap. 7.

san ne in illis exordiis monastici visitatores ab Episcopis impedirentur. Porro non tantum generales visitatores, verum etiam ipsi Abbates, qui sunt ordinum capita, & cæteri ordinum superiores Episcopis non subjecti sibi subjecta monasteria & prioratus suo quisque loco & ordine, ex officio circumeunt, etiamsi fuerint commendata (*a*). Scopus autem visitationis est monachalis disciplinæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus restitutio (*b*). Interim visitatio monasteriorum, quæ à Monachis instituitur, visitationem Episcopi quantum ad monasteria sibi subjecta, aut circa ea, in quibus monasteria etiam exempta Episcopis subjiciuntur, impedire non potest, quod ipse Canon Lateranensis hisce verbis demonstrat, porro *diœcesani Episcopi monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut quum ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum.*

Cui competant superiorum monasticorum electiones.

§. XIII. Videndum modo qua ratione superiores Monachorum constituuntur, qua de re non semper una & ubique fuit & vero etiam est Ecclesiarum disciplina. Et olim quidem in Oriente & in Occidente ut plurimum Abbates à Monachis fuerunt constituti. Sane Imperator Justinianus à Monachis Abbatem statuit eligendum (*c*): quod ipsum & Gregorius M. & regula Benedictina servari voluerunt (*d*). Primigenium hoc jus videtur fuisse eo tempore inductum, quo non adhuc speciali Episcoporum potestati Monachi subjiciebantur. Sed inde in multis locis pro potestate sua cœperunt Episcopi Abbates Monachis dare: & reipsa in Hispania sæculo septimo Abbates & officia monastica Episcopi instituebant: quod Synodus IV. Toletana decrevit (*e*). Et errat profecto Gratianus, qui Canonem Toletanum ad eum solum casum restringit, quo mali Monachi in Abbatis perniciem conspirant, & alium moribus similem sibi constituere contendunt (*f*). Quin sæculo nono & deinceps in Francia & Germania pro Regiis Abbatiis Reges ipsi Abbates ordinabant, nisi speciali privilegio monasteriis electiones dedissent, quo jure fundatione aut feudorum largitione aut litteris protectionis fere quæsito, quousque solemnes steterunt investituræ, Reges usi sunt. Interim quoniam æquius videbatur Abbates à Monachis eligi, sæpe Episcopi electionem Abbatis monasteriis remittebant: & fundatores in fundationibus eam adjiciebant conditionem, ut Abbatis electio Monachis salva esset, idque à Regibus, diœcesanis Episcopis & tandem etiam à summo Pontifice curabant confirmari.

(*a*) Trid. sess. XXV. de Reg. cap. 20.
(*b*) Cap. fin. ext. de Statu Monach.
(*c*) L. 47. C. de Episc.
(*d*) Can. II. et seq. c. 18. quæst. 2. Reg. Bened. cap. 64.
(*e*) Can. I. c. 18. quæst. 2.
(*f*) Grat. ad Can. VIII. eod.

ri. Itaque frequentibus Episcoporum concessionibus & Synodorum decretis libertas Monachorum sibi Abbatem deligendi in jus commune convaluit. Inde vero inducta monasteriorum consociatione superiores generales & provinciales in capitulis generalibus aut provincialibus eligi cœperunt: & quantum ad superiores locales in aliquibus ordinibus vel à generali, aut provinciali in senatu ordinis creantur. Id vero præsertim obtinet in temporariis superioribus, nam perpetuæ abbatiæ titulo dignitatis aut beneficii donatæ in Gallia regiis subsunt nominationibus, & in Italia quæ redditum annuum ducentorum florenorum auri de camera excedunt, Pontificis collationi reservantur (*a*). Electi autem Abbates olim ab Episcopis confirmabantur (*b*); at moribus præsentibus exempti superiores à proximo suo superiore à Pontifice vero supremi moderatores confirmantur.

Qua forma eliguntur monastici superiores.

§. XIV. Jam vero quod spectat ad formam, qua monastici superiores eliguntur, voluit S. Benedictus, eum in Abbatem ordinari, *quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva, congregationis saniori consilio elegerit* (*c*). *Parva pars* eadem est ac minor. *Hellenismus positivus pro comparativo*, ait Hugo Menardus (*d*). Et Gregorius M. in Abbatem ordinari præcipit, quem communi consensu tota sibi postulat congregatio (*e*). Quoniam vero minoris partis & sanioris electiones corruptis hominum moribus lites natura sua excitant, & in tanta Monachorum multitudine vix sperari poterat totius congregationis consensus, sapienter inductum est, ut etiam monasticæ electiones majori capituli parte censerentur, quod etiam Justinianus constituerat (*f*), nisi speciali jure aliter statuatur, ut in Abbatissis, quæ tum censentur electæ, quum duæ totius capituli partes consentiant (*g*). Porro ex nova disciplina in eligendis superioribus, qui sponsi Ecclesiarum reputantur, quales inter regulares habentur Abbates, Priores conventuales & Abbatissæ, in titulum perpetuum obtinentes dignitatem, adhiberi debet forma electionis in cap. *Quia propter* ext. de electione præscripta: in aliis vero servari debent communes electionum regulæ, eo tamen addito ut electio fiat *per votæ secreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur* (*h*); quamvis si publicatio post confirmationem fiat, electio subsistat, ut recte Zypæus adnotavit (*i*).

An

(*a*) Reg. 2. cancell.
(*b*) L. XLVII. C. de Episc.
(*c*) Reg. Bened. cap. 64.
(*d*) Ad concord. reg. cap. 5. §. 1.
(*e*) Can. III. cap. 18. quæst. 2.
(*f*) Cit. l. 47.
(*g*) Cap. 34. §. 1. de Elect. in 6.
(*h*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 6.
(*i*) Zypæus tit. 2. de Elect.

An Abbates debent esse Presbyteri?

§. XV. Ex Monachis autem eligi debent superiores virtutibus, moribus, ætate, spiritu monastico insignes, qui in moderanda monastica disciplina miscendo terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendant affectum. Et moribus præsentibus jampridem inductis Abbates & alii monasteriorum superiores debent esse presbyteratu initiati. Veteri stante disciplina & apud Græcos & apud Latinos nullus ordo in Abbatibus erat necessarius, & hinc indiscriminatim Monachi, Clerici & Laici, multo tamen frequentius laici eligebantur Abbates (*a*). Sane Abbatibus tantum incumbebat monastica disciplina, quæ etiam sine ordinis potestate potuit explicari. Sacra non erant regiminis monastici, & à Clericis adventitiis vel ex Monachis ad clericatum assumptis fiebant. Quin S. Eugenius ad presbyteratus ordinem sollicitatus dixit, *utilius multo esse Abbati propter juniorum ambitionem liberum à sacerdotio præesse fratribus* (*b*). Hinc apud Gratianum hoc extat decretum, *Ostiario Abbas in omni loco repræsentet obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ* (*c*). Sæculo octavo tantum ad creandos lectores necessarius erat in Abbatibus presbyteratus (*d*), passimque etiam deinceps creati sunt ex Monachis laicis Abbates. Et errat profecto Gratianus, qui secundum regulam Benedictinam censuisse videtur, Abbatem debere esse Presbyterum, eo quod benedictiones Monachis impertiri, & Evangelii lectionem cum subsequenti oratione dicere deberet, quæ duo officii reputat sacerdotalis (*e*). Sed, ut bene notat Haeftenius (*f*), monasticæ benedictiones paternæ potius erant, quam sacerdotales, & lectio Evangelii tantum abest, ut sacerdotii propria sit, ut potius ad Diaconos & Lectores pertineat. Sæculo XI. mutari cœpit disciplina, ut constat ex Concilio Pictaviensi, in quo statutum, *ut Abbates, Diaconi & Præpositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant*. Relatus hic Canon in Decretales (*g*) abiit in jus commune, unde necessitas presbyteratus in Abbatibus & Præpositis dimanavit, quibus proprie sic dicta cura animarum accesserat. Atque hinc statutum, ut nemo abbatiis & prioratibus conventualibus donari possit, nisi vicesimum quintum ætatis annum attingisset (*h*), quæ est ætas presbyteratus. In Abbatissis vero quum ætas ab ordine non pendeat, & feminæ viris judicio minus valeant, Tridentini Patres monialem quadraginta annis non minorem, quæ oc-

(*a*) V. Lupum schol. in Can. II. Conc. Tolosani tom. 5. oper.
(*b*) Ap. Menard. in append. 3. ad cap. 23. Concordiæ regularum.
(*c*) Can. V. D. 93.
(*d*) Conc. Nicæn. II. Can. XIV.
(*e*) Ad Can. XXXIII. C. 16. q. 2.
(*f*) Haeften. in prolegom. 18. §. 11. ad vitam S. Benedicti.
(*g*) Cap. 1. ext. de ætat. & qualit. ordinand.
(*h*) Clement. I. de statu Monachor.

octo annis post professionem cum laude vixerit, jure ordinario in Abbatissam eligi decreverunt (*a*).

Abbates laici.

§. XVI. Quamvis autem natura monasticæ philosophiæ postulet, Præpositum esse ejusdem conversationis & instituti; fuit tamen aliquando tempus, quo monachismus milites aliosque laicos habuit Abbates. Bellorum calamitates, quæ sæculo octavo rempublicam perdebant, non sufficientibus publicis ærariis ad tot bellorum sumptus sustinendos, primum Carolum Martellum coegerunt, ut Ecclesias & monasteria in stipendia militibus assignaret. Qui mos semel exortus etiam extra publicas necessitates in Gallia & Germania deinceps perduravit, passimque Principes monasteriis Monachorum, Monialium & Canonicorum regularium datis, militiam sustinebant suam, aliorumque sibi conciliabant benevolentiam (*b*). Semel vero Ecclesiæ & monasteria militibus aliisque laicis data in hæredes transiebant. Monasteriis autem donati laici *Abbates* dicebantur, utpote qui rebus monasterii & ipsis Monachis præerant: & ne sæculi dignitates in titulis omittere viderentur, *abbacomites* & *abbicomites* etiam appellati sunt. Abbacomites autem quamvis monasteriis præfecti, de temporalibus, non de regulæ observantia, quam ut plurimum ignorabant, erant solliciti (*c*). Unde lapsa monastica disciplina, & subinde etiam ipsa corruerunt monasteria. Vivis coloribus Concilia & Pontifices tantam Monachorum calamitatem describunt, & sæpe Concilia summa animi libertate Principes obtestata sunt, ut in manibus abbacomitum collapsum repararent monachismum, quo nomine celebres sunt Synodi apud Theodonis villam & Trosleiana. Quoniam vero monasteriorum largitate Principes etiam militiam sustinebant, perstiterunt abbacomites, ne Principes *suæ reipublicæ militiam defraudare viderentur*, ut Nicolaus I. loquitur (*d*). Ergo ad evitanda majora mala creati priores claustrales, quos *decanos* dicebant, qui interiorem Monachorum sustinerent disciplinam: ipsi abbacomites jussi, ut Episcoporum consilio agant, quæ ad religionem regularium pertinerent (*e*), & ipsa collapsa monasteria erecta Clericis & Monachis subinde fuerunt restituta (*f*). Sed tandem sub Hugone Capeto penitus videntur abbacomites desiisse: etenim Capetus S. Germani abbatiam, quam jure hæreditario possidebat, Gualoni sanctissimo Abbati cessit, & jus electionis, quatenus novi principatus exordia permittebant, Monachis resti-

(*a*) Trid. sess. XXV de Regul. cap. 7.
(*b*) Lupus Ferrariensis ep. XI. XXIV. XLII., Aimon. lib. 5. de Gestis Franc. cap. 24 & 36.
(*c*) Epist. Nicolai I. ad Odonem Episcopum Beluacensem.
(*d*) Cit. epist. ad Odonem Episcopum.
(*e*) Capitul. Ludovici Pii an. 823. cap. 8.
(*f*) Conc. Aquisgr. II. Can. XIX.

tituit : unde *Ecclesiæ sanctæ amator* dictus est (*a*). Et ita non amplius in ecclesiasticis monumentis abbacomites occurrunt.

Monastici superiores vel perpetui, vel temporarii.

§. XVII. Sunt autem monastici superiores alii perpetui, alii temporarii, quorum illi quousque vivunt, hi vero pro tempore, quo secundum varia ordinum instituta eorum potestas limitatur, Monachis præsunt. Et olim quidem monasteriorum superiores, quin fere etiam ipsi claustrales officiales perpetui erant (*b*), nec ulla in antiquis monumentis limitatæ ad tempus Abbatum potestatis mentio occurrit. Priores tamen obedientiarum temporarii erant, pro arbitrio Abbatum mutabiles : vetitumque est, ne obedientiæ *ad firmam* Monachis elocarentur (*c*). Erat *firma* villa seu prædium ad certum tempus sub præstatione annua pecuniæ vel annonæ elocatum. Unde *datio ad firmam* pro contractu accipitur, quo sub annuo redditu fundi dabantur possidendi : quod Cangius observat (*d*). Sed mendicantes & plures ex aliis ordinibus, qui perpetuos habebant superiores, ab hac disciplina desciverunt, & superiores suos temporarios, & inferiores officiales pro arbitrio superioris mutabiles fecerunt. Lapsa Monachorum disciplina abbatiæ & alia officia claustralia in beneficia & dignitates degenerarunt. Unde mendicantes convenientius humilitati suæ esse judicarunt temporarios constituere superiores, quam in iis perpetuos Abbates exprimere. Et qui ex perpetuis temporarios voluerunt superiores, id videntur effecisse ad regias nominationes & papales reservationes excludendas. Abbatiæ enim & prioratus temporales rationem beneficii non habebant, ac proinde ad eas regiæ nominationes & papales reservationes non poterant extendi. Interim ubi superiores sunt temporarii, diversa sunt ordinum instituta circa tempus quo eorum potestas durat. Singulis monasteriis in aliquibus ordinibus præsunt superiores annales, provinciales ad triennium, & ministri generales fere ad sex annos constituuntur. Abbatissæ vero ex constitutione Gregorii XIII. in Italia, & præsertim in regnis Apuliæ & Siciliæ nonnisi ad triennium eligi possunt (*e*). Semel vero constituti superiores sive perpetui, sive ad tempus possunt quidem pro arbitrio officiales removere inferiores, qui ex modo recepta disciplina meri sunt obedientiarii (*f*); at ipsi durante vita, vel officio *nisi pro manifesta & rationabili causa* mutari prohibentur (*g*).

Ab-

(*a*) Frag. Hist. Aquitanicæ ap. Duchesnium tom. 4. pag. 80.
(*b*) Thomass. part. I lib. 3. cap. 66. n. 11.
(*c*) Synod. Oxoniensis an. 1222.
(*d*) Cangius in glossar. V. *Firma.*
(*e*) Bulla Gregorii XIII. *Exposcit.*
(*f*) Trid. sess. XV. de Regul. cap. 2.
(*g*) Cap. 2. ext. de statu Monachor.

Abbatum benedictiones.

§. XVIII. Jam vero Abbates perpetui semel electi & confirmati solemniter ad eum ferme modum consecrantur, quo benedicuntur Episcopi, nisi quod loco Evangelii regulæ liber tradatur, & nulla unctio adhibeatur. Abbatialis solemnis ista benedictio antiquis Patribus ignota ex eo tempore videtur invaluisse, quo Abbatibus pontificalia ornamenta & jura cœperunt communicari. Et qui quæso in veteri monastica disciplina solemniter benedici poterant Abbates, quando fere ex laicis assumebantur? At communicatis pontificalibus ornamentis, quantum potis erat, Abbates in omnibus Episcopos exprimere voluerunt, & ita sæculo XI. jam invaluerant abbatiales consecrationes. Non tamen abbatialis consecratio eos facit Episcopos, quin nec necessaria est ad Abbatis officium. *Promotionem Abbatis*, inquit Ivo Carnotensis, *non facit episcopalis benedictio, sed fratrum communis electio.* Et Alexander III. Cistertiensibus permissit, ut si Episcopus semel, iterum atque tertio requisitus Abbatem benedicere noluerit, ipsi ordinis Abbates eum benedicant (*a*). Quod manifeste supponit, meram cæremoniam esse Abbatis consecrationem. Et hinc decretales electum & confirmatum Abbatem, quamvis non benedictum, sine ullo addito vocant *Abbatem* (*b*). Spectat autem de jure canonico abbatialis consecratio ad Episcopos (*c*); at multi ordines specialibus privilegiis obtinuerunt, ut vel à quocunque Antistite sui Abbates possent consecrari, vel ipsius ordinis Abbas generalis Abbates & Abbatissas benedicat (*d*).

Monachi Episcopis subjecti.

§. XIX. Et hactenus de statu Monachorum interno, dicendum nunc de externo, quo Monachi Episcopis & Principibus origine sua subjiciuntur. Quo primum tempore invaluit monachismus, Episcopi in Monachos, utpote in solitudine & monasteriis sepultos, speciali usi non videntur potestate, sed ea tantum, qua cura animarum continetur, quæque totum christianum populum comprehendit. Sed inde quum continuis à monasteriis egressionibus Monachi & Ecclesiam & rempublicam turbarent (*e*); eos suggerente piissimo Imperatore Marciano speciali curæ & potestati Episcoporum Patres Chalcedonenses subjecerunt, eo etiam addito, ne ecclesiasticis & civilibus negotiis unquam se immisceant, & in quibus positi sunt locis perseverent, nisi iis ob opus Ecclesiæ neces-

(*a*) Cap. I. ext. de Suppl. neglig. prælat.
(*b*) Cit. cap. 1. & cap. 13. ext. de Accusat.
(*c*) Cit. cap. 1.
(*d*) Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disput. 11. quæst. 10., Chopp. lib. 2. monast. tit. 1. n. 7.
(*e*) Conc. Chalced. Can. IV., Socrat. lib. 6. cap. 5. & lib. 7. cap. 14. Theodor. lib. 5. cap. 20.

cessarium ab Episcopo præcipiatur (*a*). Disciplina Canone Chalcedonensi statuta sensim quoque in Occidente invaluit, ubi sæculo sexto & deinceps Concilia Monachos Episcoporum subjiciunt potestati. *Abbates*, inquit Concilium Aurelianense I. an. 1011. (*b*), *pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant: & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.* Et Arelatense V. an. 1011V. statuit (*c*), *ut monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.* Idem sequentes Synodi sæpe statuerunt, in primis vero Regum Francorum capitularia, ex quibus iteratis decretis factum, ut passim Canones Monachos debere obedire Episcopis edicant *secundum canonicam auctoritatem.* Sacris Canonibus sancitam in Monachos potestatem leges civiles quoque confirmarunt, cavit enim Justinianus, ut Episcopi cujusque civitatis Monachorum degentium in monasteriis sub sua cura ordinatis conversationes diligenter inspiciant (*d*). Regula ergo juris canonici est, Episcopum super jurisdictione in personas regulares diœcesis habere fundatam intentionem, ac proinde qui se exemptos contendunt, probare debere sibi concessam exemptionem (*e*).

Episcopi pluribus rationibus Monachis graves.

§. XX. Potestas Episcoporum in Monachos canonica auctoritate constituta disciplinam monasticam & bona monasteriorum Episcopis subjiciebat, eaque uti oportebat Episcopos ut pastores animarum, unice salutem Monachorum spectantes. At multi Episcopi ultra modum prosilientes, Monachis graves evaserunt; etenim dum temporalia monasteriorum inhiabant, ea variis invaserunt nominibus, ut fere nihil Monachis relinquerent (*f*). Et vero ex oblationibus ad monasteria factis sibi unam asserebant portionem secundum divisionem proventuum ecclesiasticorum in tres aut quatuor partes, quarum una ad Episcopum spectabat, & in Abbatum benedictionibus & installationibus, in consecratione altarium & oratoriorum dedicatione, in Monachorum pro servitio monasterii ordinationibus, in visitatione monasteriorum, & pro chrismatis & olei sancti largitione à Monachis Episcopi exigebant temporalia. Exigebant quoque *cathedraticum*, quod in honorem cathedræ, & *synodicum*, quod à Presbyteris in Synodum euntibus pendi consueverat. Quin Abbatis electionem à S. Benedicto Monachis tributam sibi Episcopi asserebant, & quo uberior ex monasteriis quæstus esset, ex propinquis suis Abbates monasteriis præficiebant. Pro lubitu quoque in oratoriis Monachorum cathedram erigebant, & publi-

(*a*) Cit. Can. IV. Chalced.
(*b*) Can. XXI. ap. Grat. Can. XVI. C. 18. q. 2.
(*c*) Conc. Arelatense V. Can. II.
(*d*) L. XLIV. §. 1. Cod. de Episc.
(*e*) Cap. 7. de Privileg. in 6.
(*f*) Confer. Espen. part. 3. tit. 12. cap. 2.

blicos celebrabant conventus, quibus pacem & quietem tum Monachis carissimam turbabant. His aliisque nominibus Monachis multi Episcopi graves evaserant, quin eos episcopali imperio servili operi mancipabant, & monasteria in proprias verterant possessiones, quod Concilii Toletani IV. Patres testantur & deplorant (*a*).

Monachorum exemptiones ab episcopalibus oneribus.

§. XXI. Sic explicata episcopalis in Monachos potestas variis, quas Monachi obtinuerunt, exemptionibus, sensim decrevit. Monachis concessæ ab episcopali potestate exemptiones sunt vel partiales, vel plenæ, quarum ille à certis vel omnibus oneribus Monachos liberant, hæ vero etiam à canonica potestate subtrahunt, & Pontifici Romano subjiciunt. Plenas exemptiones B. Bernardus vocat non incommodo vocabulo *emancipationes* (*b*), utpote quo significatur, Monachos à potestate Episcoporum liberari, non secus ac filiifamilias per emancipationem à manu patris exeunt. Sæculis sexto & tribus sequentibus Monachis concessæ exemptiones fere fuerunt partiales, eosque, quod æquum erat, liberabant ab Episcoporum exactionibus, & liberam monasterio tribuebant Abbatis electionem; at integram Episcopis relinquebant canonicam in Monachos potestatem (*c*). Sane exemptiones à Gregorio M. pluribus monasteriis concessæ tantum onera & electionem Abbatis spectant, at Episcopis in Monachos diserte reservant *diligentiam disciplinæ*, hoc est canonicam auctoritatem (*d*). Idem quoque constat ex formulis Marculfi, quæ sæculo septimo, aut octavo conscriptæ, ejus erant conditionis, ut semper eædem nominibus, locis & tempore mutatis adhiberentur. Etenim solemnis concedendi monasterio privilegii formula, reservata Episcopis canonica potestate, concessa refert ab oneribus episcopalibus exemptionem & liberam Abbatis electionem (*e*), nec alia apud Marculfum extat formula, quæ ampliorem tribuit exemptionem, manifesto indicio privilegia Monachorum ad onera spectasse. Petebant vero hujusmodi privilegia ut plurimum fundatores ipsi, eaque Episcopi, in quorum sita erant monasteria, concedebant, & quo firmiora essent, sæpe in Synodis vel à Romano Pontifice probabantur, accedebatque etiam regia confirmatio, quæ adversus futuros Episcopos privilegia suorum decessorum convellentes securius consulebat Monachis, et onera fiscalia remittebat.

Exem-

(*a*) Conc. Tolet. IV. Can. LII. Confer. Conc. Tolet. IX. Can. II.
(*b*) B. Bernard. lib. 3. de Considerat. cap. 4.
(*c*) Espen. loc. cit. n. 13.
(*d*) Gregor. M. lib. 7. ep. XV. & lib. 6. ep. XII.
(*e*) Marculf. lib. 1. form. 1.

Exemptiones ab episcopali potestate.

§. XXII. Multo serius cœperunt privilegia, quæ Monachos etiam à canonica Episcoporum potestate liberant, & soli Pontifici Romano subjiciunt. Non Episcopi, sed Romani Pontifices hujusmodi concesserunt privilegia, idque plerumque Episcopis aut inscientibus, aut reclamantibus. Præsertim post sæculum decimum plenæ exemptiones Monachorum invaluerunt: etenim ante hoc tempus in genuinis monumentis monasteriorum exemptorum & non exemptorum distinctio non occurrit. Circumferuntur quidem ante sæculum decimum multa privilegia, quæ Monachos sine medio Pontifici subjiciunt; at eorum pleraque sunt suppositia, cujus generis est privilegium, quod monasterio S. Medardi à Gregorio M. concessum circumfertur (*a*), & privilegium, quo monasterium S. Martini Turonensis Adeodatus Pontifex auxit (*b*); alia vero genuina quidem sunt, sed admodum pauca, & præterea assentientibus potius, quam repugnantibus Episcopis concessa fuerunt, quale est, quod Zacharias Pontifex Fuldensi dedit monasterio (*c*). Semel vero sæculo XI. data plenarum exemptionum privilegia labentibus annis adeo fuerunt multiplicata, ut fere singuli ordines & monasteria omnia eadem obtinuerint. Ipsi fratres minores, qui præ cæteris alieno animo à privilegiis esse debebant, eorum fuerunt avidissimi. Sane S. Franciscus hoc uno gloriabatur privilegio, se & fratres suos *nullum habere privilegium super terram, sed omnibus obedire*: & hinc fratribus suis per obedientiam præcepit, ne unquam à Romana curia litteras aliquas petere auderent (*d*). Sed hac in causa inde fratres minores sanctissimo Patri debitam denegarunt obedientiam, & duce Elia ejusdem ordinis sodali, qui non divino spiritu, sed prudentia carnis nitebatur, ut Baronius observat (*e*), multa & plenissima impetrarunt privilegia, quæ etiam pro functionibus hierarchicis ab episcopali eximebant potestate.

Causæ exemptionum ab episcopali potestate.

§. XXIII. Plures vero causæ afferri solent, quæ ad Monachos à potestate Episcoporum eximendos Pontifices impulerunt (*f*). Abusum potestatis episcopalis in Monachos præcipuam fuisse Tamburinus arbitratur (*g*), & reipsa impotenti Episcoporum dominatu aliquan-

(*a*) Launojus inquisit. in privileg. quod Gregor. Papa I. monasterio S. Medardi dedisse fertur.
(*b*) Launojus assert. inquisit. in privil. S. Medardi part. 3. cap. 20.
(*c*) Apud Baron. ad an. 755. n. 29.
(*d*) Testament. S. Francisci.
(*e*) Baron. ad an. 676.
(*f*) Traité historique & dogmatique des privileges & exemtions ecclésiastiques, cap. 14. & seqq.
(*g*) Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 3. n. 1.

quando coacti sunt Monachi se exemptionibus munire (*a*): verum hæc ratio non videtur generalis, & præterea abusus potestatis in uno Episcopo non facit, ut successores innata summo sacerdotio priventur potestate. Magis ergo est primarias exemptionum causas à monachis ipsis derivasse. Monachi nempe rerum affluentia in mundanas pompas degenerarunt, & hinc Episcopis obedire indignum habuerunt, præsertim quando monasteria feudis erant instructa, & multa etiam distinctum cum spirituali potestate habebant territorium. Ad rem B. Bernardus de Abbatibus ita scribit: *Spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se ne obediant* (*b*). Et id quidem pro Monachis divitiis auctis, nam mendicantes ipsa paupertas fecit privilegiorum appetentes, & præterea celebritas & fama, quibus eorum ordines inclarescebant, speciali favore dignæ videbantur. Ipsa porro monasteriorum sub uno capite consociatio non parum ad exemptiones contulit, ne potestas Episcoporum in Monachos hierarchiam inter eos statutam turbaret. Ex his aliisque causis tanta exemptionum cupido Monachos incessit, ut multi bullis adulterinis eas sibi pararent, quod Petrus Blesensis testatur (*c*), & multa spuria, quæ adhuc supersunt, privilegia demonstrant. Monachorum conatus benigne exceperunt Pontifices, quorum tum intererat per totam Ecclesiam sibi speciales filios & subditos parare. Unde ex plenitudine potestatis passim sine legitima causa concesserunt exemptiones, quas proinde B. Bernardus tanquam parum justas apud Eugenium III. summa libertate traducit (*d*): *Bona ne species hæc? Mirum si excusari queat, vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc quia potestis; sed utrum debeatis, quæstio est.*

Incommoda plenarum exemptionum.

§. XXIV. Jam vero multiplicatæ plenariæ ab episcopali potestate Monachorum exemptiones sexcenta incommoda non minus in Ecclesiam, quam in ipsos Monachos invexerunt. Unde eas Episcopi omnibus sæculis ægre tulerunt, *qui dolorem suum*, inquit Petrus de Marca (*e*), *sæpisssime litibus implicatissimis & scriptionum querelis ulti sunt*; & veri Monachi in primis B. Bernardus & S. Franciscus improbarunt. Et sane dissoluto inter Episcopos & Monachos nexu potestatis & subjectionis Monachi facti sunt dissolutiores, pauperiores & in Episcopos contumaces. *Nolo*, inquit B. Bernardus ad Eugenium III. (*f*), *prætendas mihi fructum emancipationis ipsius: nul-*

(*a*) Confer. N. Alexander sec. XI. cap. 7. art. 7. n. 17.
(*b*) B. Bernard. epist. XLII.
(*c*) Petrus Blesensis ep. LXVIII., quæ sub nomine Rechardi Archiepiscopi Cantuariensis scripta est.
(*d*) B. Bernardus lib. 3. de Consid. cap. 4.
(*e*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 3. cap. 16. n. 6.
(*f*) Lib. 3. de Consid. cap. 4.

nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt. Quid quod & pauperiores? Inspice diligentius talium ubique libertorum & facultates & vitas, si non pudenda admodum & tenuitas in his, & in illis sæcularitas invenitur. Et Petrus Blesensis (*a*): *Adversus Primates & Episcopos intumescunt Abbates, nec est qui majoribus suis reverentiam exhibeat & honorem Evacuatum est obedientiæ jugum, in qua erat unica spes salutis, & prævaricationis antiquæ remedium.* Et fratrem suum recenter electum in Abbatem Maniacensem adjurat, & deprecatur, ut vel abbatiali dignitati vel privilegio exemptionis renunciet, *quod materiam rebellionis inducit* (*b*). Nec minorem contumaciam erga Episcopos foverunt privilegia mendicantibus concessa. Speciatim de fratribus minoribus, qui contra sanctissimi Patris præceptum cumulati erant privilegiis, observat Alvarus Pelagius (*c*), eos *à sancta paupertate & humilitate quasi omnimode recessisse: nam eorum privilegia, per quæ nemini subsunt, nisi Sedi apostolicæ, eos in superbiam erexerunt, & in contumaciam contra omnes prælatos.* Et paulo post, *eorum privilegia faciunt eos contendere tota die.... Faciunt etiam eos contemnere prælatos Ecclesiæ, & occasione privilegiorum magis sunt insolentes, & magis delinquunt.* Porro plenæ exemptiones ecclesiasticam turbarunt hierarchiam, hactenus ut B. Bernardus monstruo similes esse dicat ecclesiasticorum graduum status, quum inferiores dignitates à superioribus divisæ capiti conjungantur, ac si digitus supra manum constitutus capiti ἀμέσος connectatur (*d*): quam confusionem inde auxerunt mendicantes variis impetratis privilegiis, ut in ipsis functionibus hierarchicis ab Episcopis non penderent.

Decreta Tridentina circa monasticas exemptiones.

§. XXV. Quando igitur tantis incommodis Monachorum exemptiones aditum aperuerunt, pluries Concilia & Pontifices varie pro temporum & locorum conditione eas temperarunt; nam sancta Concilia de iis omnino abolendis non semel inita nunquam effectum habuerunt. Missis nunc cæteris omnibus constitutionibus etiam iis, quæ pertinent ad privilegiorum interpretationem, referam tantum Concilii Tridentini de Monachis exemptis potiora decreta, utpote quæ hodie receptam constituunt disciplinam. In primis statutum, ut Episcopi tanquam Apostolicæ Sedis delegati visitarent, punirent & corrigerent Monachos exemptos delinquentes, qui degunt extra monasterium (*e*). Et quantum ad regulares, qui in monasteriis degunt, & extra ea adeo palam delinquunt, ut populis scandalo sint, cautum ut à suis superioribus instante Episcopo, & infra tempus ab eodem limitandum, puniantur, & de jam facta punitione superiores Episcopum faciant certiorem; sin minus à suo superiore officio priventur, & delinquentes ab Episcopis puniri possint (*a*). Cui decreto ne fraus fiat Clemens VIII. providit, vetans, ne superiores regulares Monachos delinquentes in alia suorum ordinum monasteria extra diœcesim ablegarent (*b*). Porro statutum, ut monasteria, quibus cura animarum sæcularium imminet, Episcopis in omnibus ad curam animarum spectantibus ἀμέσος subjaceant (*c*). Cautum quoque est, ut monasteria monialium Sedi Apostolicæ immediate subjecta ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis gubernentur (*d*): quibus etiam delegata potestate commissa est omnium exemptarum monialium clausura (*e*). Copia pariter facta est Episcopis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis ut quotannis visitent monasteria commendata, ubi neglecta jacet claustralis disciplina: & si à regulari disciplina descitum ibi est, curæ erit Episcopis, superiores regulares admonere, ut paternæ charitatis visceribus animati curent monasteria maculis omnibus & illabentibus vitiis expurgare: quod si semestri spatio non fecerint, tum Episcopi etiam auctoritate apostolica eadem visitabunt & repurgabunt (*f*). Episcopis quoque eadem auctoritate delegata subjecta sunt monasteria omnia exempta, quæ in congregationem aliquam non fuerint aliis cœnobiis adunata (*g*). Quod vero magis promovit ecclesiasticam disciplinam illud profecto fuit, quod in hierarchicis functionibus Monachi omnes subjecti fuerunt Episcopis, statutumque ut sine approbatione & venia Episcopi regulares confessiones non audirent (*h*), nec in suis Ecclesiis prædicarent (*i*). Et generatim statutum, ut in anniversariis sacris, in solemni pompa sacrorum & ritibus ecclesiasticis Monachi omnes servent mores diœcesis, ubi degunt (*k*), idque ne in cultu Dei publico una Ecclesia à se ipsa sit difformis.

Potestas summorum imperantium in Monachos.

§. XXVI. Restat status Monachorum externus pro ea parte, quæ civilem spectat subjectionem. Et quidem quamvis Monachi ratione professionis suæ mundo mortui reputentur, non tamen civilis hæc mors facit, ut in civitate esse desinant, præsertim quando corpora

(*a*) Petrus Blesensis cit. ep. LXVIII.
(*b*) Petrus Blesensis ep. XC.
(*c*) Lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 66.
(*d*) B. Bernard. loc. cit.
(*e*) Sess. VI. de Reform. cap. 3.

(*a*) Sess. XXV. de Reg. cap. 14.
(*b*) Bulla *Suscepti regiminis* 39.
(*c*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 11.
(*d*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 9.
(*e*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 5.
(*f*) Sess. XXI de Reform. cap. 8.
(*g*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 8.
(*h*) Trid. sess. XXIII. de Reform. cap. 15.
(*i*) Trid. sess. XXIV. de Reform cap. 4.
(*k*) Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 12.

ra tot tantisque latifundiis aucta constituant. Unde Monachi etiam quatenus Monachi origine sua summis subsunt imperantibus, qui pro potestate sua, seu disciplinæ tuendæ jure etiam de monastica disciplina statuere possunt, & reipsa plures condiderunt leges, quin etiam aliis rationibus quieti & observantiæ monasticæ debent providere. Et certe Justinianus plures jussit leges, quæ non tantum de bonis monasterii (*a*), verum etiam de ipsa monastica disciplina disponunt, veluti de tempore novitiatus (*b*), separatione duplicium monasteriorum (*c*), Abbatis electione (*d*), moribus, vita communi Monachorum (*e*) aliisque multis capitibus ad ipsam monasticam disciplinam pertinentibus. Præsertim Novellæ in primis V. CXXII & CXXXIII. integram disciplinam monasticam disponunt & exhibent. Nec minori zelo res monasticas curarunt Reges Francorum, qui etiam lapsam Monachorum disciplinam pro officio suo restaurandam susceperunt. Et hinc varias coegerunt Synodos, quibus reformationem monastici ordinis commisserunt, & per monasteria *missos dominicos* ablegarunt, qui rei monasticæ prospicerent, & reformationi invigilarent. *Stetit nobis*, inquit Pipini Regis Italiæ capitulare (*f*), *ut missos nostros unum Monachum & unum capellanum direxissemus infra regnum nostrum providendo & inquirendo per monasteria virorum & puellarum, quæ sub sancta regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, vel qualis est vita & conversatio eorum, & quantum unumquodque monasterium de rebus habere videtur, unde vivere possit.* Sæpe in capitularibus *missi* isti dominici occurrunt, quibus Monachorum & Canonicorum visitatio & reformatio datur in mandatis; eligebantur ex Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, Comitibus & Ducibus (*g*), & una cum Episcopis, in quorum paroeciis sita erant monasteria, vitas & mores Monachorum & ædificia perspiciebant, & secundum regulam defectus emendabant. Sed temporis lapsu fere desiit usus regiæ potestatis in Monachos idque factum occasione exemptionum, quibus Monachi ab episcopali potestate subtracti, Pontificem Romanum unum agnoverunt superiorem.

Regiæ monasteriorum protectiones.

§. XXVII. Nec tantum supremam in monasteria exercebant summi imperantes potestatem, verum etiam ut plurimum ea ab inferiorum judicum exemerunt jurisdictione, & ἀμέσος sub sua posuerunt potestate. Edixit quidem Justinianus, ut monialium & Monachorum

(*a*) L. 23. C. de SS. Ecclesiis.
(*b*) Novell. V. cap. 2.
(*c*) L. 44. C. de Episc.
(*d*) L. 47. C. eod.
(*e*) Novell. CXXXIII.
(*f*) Ap. Baluz. tom. 1. capitul. p. 537.
(*g*) Natal. Alexander Hist. eccles. sæc. IX. & X. cap. 5. art. 5. n. 15.

rum causæ ad Episcopos deferantur, qui *honeste atque sacerdotaliter*, hoc est sine strepitu forensi eas definiant (*a*): qua lege abrogata est Leonis & Anthemii constitutio (*b*), quæ Monachos ad judices extra proprias provincias trahi non permittebat, ut Cujacius observavit (*c*): at in Occidente monasteria generali lege à comitum & ducum jurisdictione non erant exempta: ac ita comites & duces in tantis monasteriorum divitiis Monachis graves evaserunt. Nec minus Episcopi variis exactionibus, & alii potentiores Monachorum quietem turbarunt, bona eorum invadentes. Unde factum, ut pleraque monasteria anxie sibi quærerent regis protectionem, & à judicibus inferioribus exemptionem (*d*), & fundatores ipsi in fundatione ea sub tuitione & defensione Principis ponebant. Justis vero Monachorum & fundatorum votis, & vero etiam Episcoporum & inferiorum judicum contractionibus moti Principes monasteriorum in se susceperunt curam, eaque sine medio sub sua potestate & defensione posuerunt: extantque passim talis exemptionis & protectionis diplomata, quibus Principes bona & homines monasteriorum ab omnibus oneribus & judiciaria potestate judicum inferiorum liberarunt. Ut ecce in diplomate Friderici II., *ab omni jure comitum & judicum eximimus, & liberos esse concedimus* (*e*). Et in diplomate Conradi Imperatoris, *ut nullus judex publicus licentiam in homines ad præfactum monasterium pertinentes ullam judiciariam habeat exercere potestatem* (*f*). Inde postquam Monachi sine medio Pontifici paruerunt, desierunt, quidem multorum monasteriorum regiæ protectiones, at semper aliquæ superfuerunt: quo ex sententia Espenii (*g*) spectarunt etiam Tridentini Patres, dum à visitatione Episcoporum eximunt *pia loca*, quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia (*h*).

Monasteriorum advocati.

§. XXVIII. Jam vero mediis sæculis Monachi *advocatos* habuerunt suos, qui etiam *vicedomini*, *custodes* & *guardias* habentes dicti, res temporales tuebantur, & de causis sive civilibus sive criminalibus ad monasteria eorumque homines pertinentibus jus dicebant (*i*). Nempe quum potentiorum contradictionibus monasteria essent obnoxia, & subinde judicum inferiorum jurisdictionem non agnoscerent, necesse omnino fuit dari Monachis advocatos, qui &

(*a*) Lib. 5. capitularium 143.
(*b*) Novell. LXXIX. cap. 1. & 2.
(*c*) L. 33. Cod. de Episc.
(*d*) Cujac. not. in cit. novell.
(*e*) Ap. Gewoldum in addit. ad Hundii metrop. Salisb. tom. 2. p. 124.
(*f*) Ap. Schaten. in annal. Paderbon. ad an. 1174.
(*g*) Espen. part. 3. tit. 25. cap. 1. n. 33.
(*h*) Trid. sess. XXII de Reform. cap. 8.
(*i*) Matthæi de Nobil. lib. 2. cap. 29. & seq.

& temporalia tuerentur, & nomine Principis jurisdictionem explicarent; etenim Abbates nullam habebant civilem jurisdictionem, nec Monachi à contemplatione erant distrahendi, ut potentiorum contradictionibus occurrerent. Dabant autem advocatos ipsi Reges, quandoque vero ipsi Monachi Regum beneficio sibi eos seligebant, & sæpe etiam ipsi fundatores nominabant, & Principes confirmabant. Electi tamen à Monachis vel fundatoribus jurisdictionem ab Imperatore accipiebant, quod thema pluribus Hertius (*a*) exornat. Assumebantur autem in advocatos non *scholastici*, hoc est qui in actu erant in munere defensionis causarum, unde olim Ecclesiæ aliquando suos constituerunt defensores (*b*), sed ex potentibus & magnatibus, qui potentia valebant. Interim advocati non gratis placita, seu judicia explicabant; sed iis certa jura fuerunt constituta, ac ordinarie tertia pars *bannorum* sive multarum, quæ in reos, sive non jure litigantes decernebantur, iis cedebat (*c*). Assignatis tamen sibi emolumentis advocati non contenti, variis nominibus sua auxerunt jura, & ita paulatim monasteriis graves evaserunt. Unde passim varia monasteria ab advocatis liberata sunt, aut variis modificationibus jura eorum limitata: quæ liberatio magis magisque increvit, postquam Monachi Sedi Romanæ subjici cœperunt.

(*a*) Hertius de Jactit. ordin. Cistert. libert. sect. III.
(*b*) Can. XCVII. Cod. Afr. L. 38. Cod. Th. de Episc.
(*c*) V. Cangium in glossar. v. *Advocati*.

Finis Tomi II. & Partis primæ.